HOMILIAE

CAMVSII

Empty ℔ 4

HOMILIAE
PRIMAE

DE VENERABILI

EVCHARISTIAE SACRAMENTO,

HABITAE PARISIIS IN TEMplo S. Mederici, per Octauam Festi Ven. Sacramenti, Anno 1617.

à

Reuerendiss. D.D. IOANNE PETRO CAMVSIO Episcopo & Domino Bellicensi.



COLONIAE AGRIPPINAE

Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote.

ANNO M. DC. XXI.

INDEX HOMILIARVM PRIMARVM EVCHARISTICARVM.

IN FESTO VEN. SACRAMENTI.
De Triumpho Ven. Eucharistiæ. Hom. I.
FERIA VI. INFRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.
Veritas Eucharistica asseritur. Hom. II.
SABBATO.
Ostenditur Eucharistiam esse sacramentum amoris. Hom. III.
DOMINICA INFRA OCTAVAM. VEN. SACRAMENTI.
De vnione Eucharistica. Hom. IV.
FERIA II.
De robore, quod in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sumentibus communicatur. Hom. V.
FERIA III.
De gratia Eucharistica. Hom. VI.
FERIA IV.
De frequentis communionis commodis. Hom. VII.
IN OCTAVA FESTI VEN. SACRAM.
Rursus de frequenti communione. Hom. VIII.

APPROBATIO.

NOS infrascripti SS. Theol. Doctores in Vniuersitate Parisiensi testamur vidisse & legisse Homilias de Venerab. Sacramento, authore Reuerendiss. D. D. Ioanne Petro Camusio Episcopo & Domino Bellicensi, &c. in quibus nihil reperimus contra fidem Catholicam Apost. Rom. &c. imò luce dignissimas ad salutem multorum. Dat. Parisijs 10. *Februarij*, 1618.

F. L. Gohier
Guardianus Cordigeror.
F. P. le Franc.

IN

IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI.

De Triumpho Vener. Eucharistiæ.

HOMILIA I.

Hic est panis, qui de cælo descendit. Ioan. 6.

QVALIS sub matutinum crepusculum defæcatum, quando nimirum æther dispulsis nubibus serenus sexcentos in cælorum abditis emicare facit ignes, mortalibus apparet aurora, diuersis interstincta coloribus, mille gerens sinu rosas, ac iucundo plena rore, quo vniuersam ipsa terræ superficiem ad florum alimentum humectat; semper quidem magis ac magis luminosum iubar parturiens, donec tãdem radianti eius è gremio ipse omnis luminis pater, ac fulgidum illud diei sidus sol erumpat, qui tetra pulsa caligine, & nocturnis fugatis tenebris, (quarum furuum velamen totum quà patet orbem terrarum velabat) suum rebus omnibus reddit colorem, iucundâ suâ præsentiâ cuncta & animando & recreando, cùm nihil *se abscondat* lumine & *calore eius*. Talem, quin imò splendidio hodie sancta mihi sese spectandam dat Ecclesia : iam quidem militans, sed veluti triumphans, sia inquam splendens *quasi aurora consurgens, p.* & clara *vt luna*, *electa* & radians *vt sol*, meli suos in ordines distincta, quàm *castrorum acie ordinata*. Illustri hoc namque die generale quoddam

Deo exercituum ſponſo ſuo ſui luſtrum inſtituit, & quàm poteſt magnificentiſſimũ glorioſiſſimumq́; ſui præbet ſpectaculum, ad dignè triumphalem pacifici cordium animarumq́ue regis currum ſtipandum. Luc.1. Hodie item ſuum *Sol* noſter *oriens* in auroræ huius, Matt.18. Eccleſiæ inquam, quæ *regnum* dicitur *cælorum*, & *cælum cælorum*, gremio curſum inſtituit. Hodie ac- Pſal.10. clamando, cum Regio Pſalte, canere poſſumus, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius, oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.* Solennis hic & anniuerſarius triumphus vnicum oculorum noſtrorum, nec non cogitationum veſtrarum, & concionis meæ, quam ordior, futurus eſt obiectum, ſi priùs compellauerimus eam, quæ aurorâ longè eſt vermiculantior, lunâ purior, ſole fulgentior, & omni acie potentior. *Aue Maria.*

Magnifica ſolennitatis huius pompa, fratres ſororeſque in Chriſto Ieſu cariſſimi, inuitare nos quodammodo videtur, vt de Euchariſtico triumpho hodie pauca apud vos diſſeramus. Facturi id ſumus, ipſum 1. triumphum in ſe, 2. ſub honorum veterum, quos olim Hebræi arcæ ſuæ Teſtamenti deferebant, figura vmbraq́ue ſpectando, 3. denique ſuauiſſimam benigniſſimi Redemptoris noſtri bonitatem demirabimur, in venerabili hoc Sacramento tam familiariter nobiſcum agere dignati, quin imò ibidem ſe *ad* Matt. 2. *vſque ſæculi conſummationem* commoraturum *nobiſcum* ſpondentis. Auſpicemur.

Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo, & eius *paratam* manibus, *ſicut ſponſam ornatam* recipiendo *viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno cæleſti dicentem, Ecce habitaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Illuſtris ſanè hæc viſio eſt, quæque inter inclytas, è quibus eximius nouæ legis Propheta admirabilem Apocalypſin ſuam cõcinnauit, reuelationes

nes non postremum obtinet locum: quæ verba adeò grauia cùm seriò expendi & ponderari mereantur; per otium, obsecro, eadem examinemus. Quid sibi porrò vult authentica hæc, quæ præmittitur, prælocutio: *Et ego Ioannes*? authentica inquam: quomodo enim suum sacer hic Apostolus, in humilitatis ludo, & abiectionis academia tam bene institutus, quique suo in Euangelio nomen suum sub periphraseos illius, *discipulus quem diligebat Iesus*, inuolucris adeò semper scitè tegit; tam subitò loquendi modum mutauit, atque arroganter quodammodo seipsum nominauit, *loquendo quasi potestatem habens*, ac dignitate personæ suæ quæ diceret confirmando? Nisi quid iudicans fallor, illustre hoc *Ioannis* nomen, quod gratiam Dei notat, docere vult, ad bene intra mysterij, quod declaraturus ipse est, penetrãdum intima peculiari quadam Dei gratia opus esse. At quid Angelicus hic homo, hic humanus Angelus videt? In illius sanè verbis, velut in pretiosi cuiusdam tapetis stamine natiuam pompæ, quam solenni hoc die tanto apparatu ac magnificentia celebramus, imaginem expressam videre videor. Videt scilicet ille ciuitatem sanctam, iam nuper cælo delapsam. Quænam verò hæc est ciuitas, nisi Ecclesia, quæ tam in terra quàm in cælo sancta est, vnica vnico suo, & à dilecto dilectorum dilecta? *Ciuitas* inquam sancta ac *Dei*, *de* qua nonnisi *gloriosa dici* queunt. *Ierosolymam* illam vocat, quod nomen *visionem pacis* denotat: & verè. Tametsi enim in terris Ecclesia perpetuo cum bello luctetur, ideoque Militantis nomen inuenerit, suis tamen in conflictibus optabili quadam pace & consolatione gaudet. Et sanè *pax* illi nimis quã *amara* foret, nisi pro sponsi sui obsequio, cultu, ac gloria decertaret. Tum etiam quia germana Triumphantis Sionis, pacificæ illius Sunamitidis soror est. Sunt quippe ipsæ duæ sorores illæ, Lia & Rachel, vnum eumdemque ambæ habentes maritum. An non diceretis, hodie duo illarum sororum corda, vti olim

Ioan. 21.
Marc. 1.
Psal. 86.
Isaia, 38.
Gen. 29.

Psal. 84. *iustitia & pax*, inuicem *exosculari*, certatim quodammodo pro se quæque connitentes, vtra suum Iacobum constrictura sit arctiùs, vtra honoratura magis,
2. Cor. 11. vtra amplexura amiciùs, ad *sancta* quadam *æmulatione* illius amorem & amicitiam obtinendam? Et reuera, cùm compita & vicos tot elegantijs exornatos, tot arcubus triumphalibus & floridis laquearibus hinc inde instructos, plateas tot pretiosis cimelijs conuestitas, aras extemporaneas hinc inde tam solerter erectas, basilicas tam magnificè peristromatis videtis condecoratas; diceretis hauddubiè, vel terram cælorum pulchritudinem exprimere
Psal. 17. æmulando velle, vel beatorum illam sedem *inclinando cælos magnitudinis* suæ aliquantisper in *terram descendisse*. Hoc nempe quadamtenus Euangelij hodierni innuere contextus videtur, in quo se Saluator *panem* nominat *viuum, qui de cælo descendit*, quò se sponsæ huius iam recèns è cælis delapsæ filijs amicè communicaret. Sed examinemus sequentia. Quàm porrò dilecta hæc amica dilecti sui oculis placet, cùm suâ ipsemet *manu* benedictâ, quæ *fecit omnia*, ipsam exornare & pro libitu suo condecorare non sit dedignatus, præcipuas quasdam & exi-
Gen. 24. mias illi vestes elargiendo, vti suas olim castæ Rebeccæ Isaac transmisit, quibus conuestita illi occurreret? Si verò nossetis, carissimi, quantopere splendor hic & pompa animorum nostrorum sponso arrideant, & quod ex exterioribus illis, quibus die hoc solenni triumphum eius condecoramus, ornamentis de interioribus ferat iudiciũ; iurare ipse ausim fore, vt suæ quisque vestrûm certatim omni studio & cõtentione domus frontispicium & extima quibuslibet honestamentis conuestiret, quò illius pertranseun-
Psal. 44. tis benedictionem ad se deuocaret. Etsi enim *omnis gloria filiæ Regis*, animæ piæ, *ab intus sit in fimbrijs au-*
Matt. 10. *reis*; suum exteriora tamen schemata pretium & laudem habent apud eum, qui etiam *calicem aquæ frigidæ in nomine* suo propinatum suo minimè frustrandum

præmio

præmio aſſeuerat. *Adſtat Regina*, canit magnus Pſal-tes, *à dextris* Regis *in veſtitu deaurato, circũdata varie-tate.* Et ſacer ille ſpõſus nõne dilectę ſuo in epithala-mio accinit, *Quã pulchri ſunt greſſus tui in calceamẽtis!* Si verò vocem illã ſonorã, quæ è ſummo cælorum ad Euangeliſtę noſtri aures delapſa eſt, audire velimus, euidenter perſpiciemus, hoc ipſum quod celebram⁹ myſteriũ, per eandẽ fuiſſe ſignificatum. Quidnã obſe-cro, ſanctiſſima & venerabiliſſima aliud eſt Euchari-ſtia, quã verũ *tabernaculũ Dei cũ hominibus*? vel po-tiùs, non tã *Dei tabernaculũ*, quàm Deus tabernaculi; aut, ſi malitis, tabernaculũ Deus; vel Deus ſub ſancta-rũ ſpecierũ velamine vel tabernaculo latens? *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael* amœna & iucunda! *quã dilecta tabernacula tua, Do-mine virtutũ! cõcupiſcit & deficit anima mea* præ illo-rũ poſſidendorum deſiderio. Reliqua Apoſtoli noſtri verba abſoluamus, dicamuſq; tabernaculi huius ad-miniculo, inter diuinas adinuẽtiones opere omnium præſtantiſſimo verè *Dominũ habitare nobiſcum*, vt per quod ſumus *populus eius*, vti *ipſe noſter* eſt *Deus*; idque iuxta fallere neſcij verbi eius veritatẽ, quo declara-uit, eũ *qui manducat carnẽ* ſuam, *& bibit* ſuũ *ſanguinẽ*, nõ aliter in ſe *manere*; quã ipſe in eo. Quã igitur *bea-tus populus* ille, cuius *Dominus Deus eius!* Iacob aiebat, *Erit mihi Dominus in Deum, ſi me cuſtodierit in via, per quã ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum.* Quantò verò potiùs dicere ipſi debemus, fratres, Ie-ſum noſtrum eſſe Deum, qui dat nobis *panem viuum, qui de cælo deſcendit*, ſacrum inquam corpus ſuum, idque in vitæ huius peregrinatione, ac tali tamque facili vtendi ratione, vt vulgari nomine *viaticum* dicatur? Tanta tamque dulcis igitur benignitas in æternum benedicta ſit!

Pſal. 44. *Cant. 7.* *Num. 24.* *Pſal. 83.* *Apoc. 21.* *Pſal. 94.* *Pſal. 143.* *Gen. 28.* *Ioan. 6.* *Pſal. 115.*

At *quid retribuemus Domino pro* tam eximio ſin-gularique beneficio, quod non reliqua omnia dùm-taxat in ſe complectitur, ſed ipſum etiam benefacto-rem? aliam porrò gratitudinis compenſationem à nobis

nobis non exigit, quàm vt ſæpè eodem vtamur, *cali-*
cem ſalutarem acc[i]pientes & ſanctum eius *nomen inuo-*
cantes: *inuocantes* inquam publicè, votaque noſtra
illi *coram omni populo eius reddendo, in atrijs domus*
Cant. 3. eius, *in medio Ieruſalem*, & *per vicos* eius *& plateas.*
Quod te ſacro hoc die, ô celeberrima Lutetia, tanta
facere video reuerentia, tanto zelo & ædificatione o-
Prou. 31. mnium, vt verè de te dicere poſſim, *multæ filiæ*, id eſt,
plurimæ ciuitates, *congregauerunt diuitias*, ſed *tu ſu-*
pergreſſa es vniuerſas magnificentia & ſplendore.
Eia, age, *lauda* noua *Ieruſalem Dominum*, *lauda Deũ*
Pſal. 147. *tuum* noua *Sion*, *quoniam confortauit ſeras portarum*
ſuarum, inexpugnabilem te præſtans, *qui benedixit*
filiorum numero *te* in tanta incolarum multitudine;
quia *poſuit fines tuos pacem*, ditionis ac pomœrij tui
terminos tranquillitate limitanis; quia *adipe* deni-
que *frumenti ſatiat te.* quod autem frumentum hoc
adipale eſt, niſi panis hic viuus ac cæleſtis, cuius o-
Cant. 5. mnis ſubſtantia in carnis ac ſanguinis Dominici ſub-
Zach. 9. ſtantiam tranſijt, *frumentum* illud *electum ex mill-*
bus, & vinum germinans virgines?

Cant. 3. *Egredimini* igitur *filiæ Sion*, animæ ſanctæ, egre-
dimini inquam à vobis ipſæ ſancto quodam egreſſu,
& videte Regem Salomonem, nec non Sunamitidem
illius pacificam, diadematis ſuis coronatos, & ſche-
mate pulcherrimo conueſtitos *in* hoc *die deſponſa-*
tionis illorum & in die lætitiæ cordis eorum. Adeſte a-
nimæ mundæ & expurgatæ, & triumphale carmen
veſtrum in diei huius ſolennitatem conferte, æther
Matt. 25. iucundo quodam thalaſſione reſonet; voſque, ô pru-
dentes virgines, lampades veſtras præparate; innu-
meræ accendantur faces, & funalia ad ſponſi huius
aduentum excipiendum & decorandum; *exeamus*
Apoc. 19. *obuiam ei, benedictiones & laudes* illi cantemus; dies
enim *nuptiarum* eius *aduenit.*

Vtinam, dilectiſſimi in Chriſto, dignus ſatis ſim
paranymphus, ad ſacrum hoc epithalamium voce
celebrandum! Suppetias igitur hîc mihi ferte, An-
geli

geli Dei ac ſpiritus potentes, qui in natali eiuſdem genethliacum læti *magna multitudine* carmen accinuiſtis cantantes in cœleſtibus, *Gloria in excelſis Deo.* *Luc. 2.*
Ipſi ſaltem ex corde cum Eccleſiæ choro dicamus,

Lauda Sion Saluatorem,
Lauda ducem & paſtorem
In hymnis & canticis.
Laudis thema ſpecialis,
Panis viuus & vitalis
Hodiè proponitur.

Sed, eheu! ſicut olim in veteribus Romanorum triumphis moris fuit, ad nimium triumphantis gaudium & faſtum temperandum, mordacem quemdam ponè à tergo adhibere momum, qui triumphãtis vitia geſtaque canino dente carperet; ad eumdem modum vereor, ne, pro informi in miſera hac Gallia religionũ permixtione, in ſolennibus illis, qui antemeridianis horis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ exhibiti ſunt, honoribus & applauſibus, inter eos, qui per feneſtras ſupplicationem feſtiuam & ritè decenterque procedentem ſpectarunt, plurimi permixti fuerint Micholitæ. Anne, quid velim, intelligitis?

Dauid audito, quàm inſignibus domum Obededom Gethæi Altiſſimus benedictionibus repleſſet, *2. Reg. 6.* *1. Par. 15.* quòd in eadem Arca teſtimonij ad menſes aliquot ſubſediſſet; pretioſum hoc pignus in vrbem reducere conſtituit, vt hoc pacto Iſrael vniuerſus de fauorabilibus ac propitijs ſacrarij huius diuini influxibus particeps redderetur. Igitur tum pro diuina reuerentia, tum pro regia magnificentia plurimos vndiquaque conuocat cantores, victimas deſtinat innumeras, magnamque veſtium ſacrarum, ſacerdotum, ac virorum, qui ſacrum hocce pignus tutò honorificeque, vtpote in quo omnis Iſraelis ſpes & res ſita erant, deducerent, dudum antè comparat copiã. Illi ergo, pro ſe quiſque ſuo munere fungentes, regiam ordinatim vrbem inuehuntur, decenti procedentes agmine. qua conſpecta pompa, entheus qui-

dam pietatis ardor Regis animum inflammat; qui haud ſatis eſſe ratus, & voce & plectro ardentis indicia pectoris eructare cantica, etiam præ gaudio tripudiare & ſaltare ante Domini arcam incipit. Quo quidem ille plauſu inſigne pietatis exemplum
Rom. 8. bonis ſanctiſq; animabus dedit (ſiquidem *bonis omnia cooperantur in bonum:*) Michol porrò Saulis filia, ac Dauidis vxor, cùm de feneſtra ſacrum hoc agmen proſpectaret, coniugis ſui pietatem ſubſannauit, eũ imminuti cenſens cerebri, & *in corde ſuo deſpiciens.* Arca itaque in ſacrarium iam illata, Dauidi domum ſuam reuertenti hæc elocuta Michol obuiã prodijt, *Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Cui ſimiliter, ſed generosè rex, *Ante Dominum, qui elegit me potiùs, quã patrem tuũ, & quàm omnem domum eius, & ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis,* & in tripudijs *meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Vnica mea gloria eſt ipſum honorare, me verò deijcere. At memineris, ob irriſionem hanc te & obtrectationem perpetua ſterilitate plectendam: vterum quippe tuum obſerabit Altiſſimus, & ſobolis benedictione haud perfrueris. Atque vti Dauid præmonuit, ita & Michol experta eſt.

Qui verò rerum ſacrarum apparatum ac diei huius ſolennitatem, fratres, explodunt, an non improuidæ huius & malè ſanæ mulieris ſunt ſectatores? miſelli ſiquidem Nouatores, ab Eccleſiæ ſanctæ gremio deflectentes, eadem prorſus, quæ Michol coniugi, nobis ogganniunt, noſtra ſubſannant ſolennia, noſtras carpunt neomenias, quin etiam abominantur & execrantur (ita quidem incredulitatis œſtrum ac rabies eos tranſuerſos agit) illos, quos noui fœderis arcæ, corpori inquam & ſanguini Dominico, deferimus honores: ſua namque ipſi phraſi, nullũ ſcandalũ veriti, vniuerſas cærimonias noſtras, Micholam imitati, mimicos, dramaticos & ſcenicos quoſdã ap-
pel-

pellant gestus; *dicentes bonum malum*, & lucem tenebras. O *insensati* & caligantes; *quis vos* ita miserè *fascinauit* & excæcauit? Cæcitatem illorum doleamus, carissimi, ac dilectissimum nostrum rogemus Iesum, has vt oculis ipsorum squammas, corde duritiem, ore oblocutionem amoueat. Notetis porrò velim, vt, ad imitationem huius sannatricis, per fenestram ipsi despectent, mysterium hoc nonnisi naturali lumine, non verò in meridiana supernaturalis splendoris fidei luce, cuius propriũ est *inuisibilia & visibilia* spectanda dare, & patefacere *non apparentia*, intuentes. *Indica* illis, Domine, *vbi pascas in meridie, ne vagari incipiant post* rationum naturalium *greges*. Humana siquidem ratiocinatio hoc in mysterio hominem non aliter iuuat, quàm noctuam oculus, quo fulgentissimos micantissimosque solis radios intueatur. Humiliemur interea cum Dauide, illorum ludibria & irrisiones æquanimiter feramus, quò dicere Deo possimus, vt, quæ in illum irrogãtur opprobria, in nos potiùs recidant, *gaudentes* & exultantes *pro sancto eius nomine contumelias pati*, & *animas* nostras *in patientia possidentes*. Et cum magno Propheta rogemus, vt felix sterilitatis maledictio hæresi contingat, sterilescat & illiberis fiat, nullos tenebrarum ampliùs filios, inferorum victimas, producat, sed *auferatur sceptrum de* stirpe & *femore eius*, & errantes salutari quadam conuersione libellum repudij opinionibus suis dantes, Deum, Angelos & homines recreent, redeuntes ad *ouile vnum* dumtaxat *pastorem* agnoscens.

Isaiæ 5. *Gal. 3.* *Hebr. 11.* *Cant. 1.* *Psal. 7.* *Act. 5.* *Luc. 21.* *Gen. 49.* *Ioan. 11.*

Neque dubito, quin idipsum & vos, fratres, omnibus votis totaque animi contentione desideretis: sed multis opus est suspirijs & lacrymis ad ferrea horum corda emollienda & flectenda, qui non aliter sapientiam habent, quàm vt malè agantur; quibus oculi obtigerunt non ad lumen cæli conspiciendum, sed vt Heli, cuius caligabant; *1. Reg. 3.*

quibus

quibus aures sunt, non vt audiant, quo bene viuendum
Rom. 10. dum sit modo, ac qualis suscipienda fides. *fides enim ex auditu.* Dum Aegyptum premeret triduana cali-
Exod. 10. go, quibus in locis Israelitę agebant, luce cælica gaudebant: sic in sæculi huius obscuritatibus Nouator ibi impingit & cæspitat, vbi fidelis iucundissima fruitur claritate. Fac, obsecro, benignissime Iesu, vel ex sanguinis tui balsamo, vel è nostri luto, salutare quoddam collyrium, quo hæcce cęcitas dispellatur;
Luc. 18. fac, vt adinstar cęci illius in via Ierichuntina *videăt*, & nos iunctis vocibus magnitudinem tuam & po-
Iud. 10. tentiam extollemus. Sed, prò nefas, *blasphemant quæcumq; ignorant, & quæcumque norunt, in his* corrumpuntur. Mysterij huius veritas, adeò fulgida & coruscans, oculos ipsorũ ita perstringit, vt ad eamdem conniueant; interim tamen obstinati nihil recti
Psal. 4. volunt credere. *Quousque graui corde diligent vani-*
Rom. 1. *tatem, & quærent mendacium*, &, *veritatem Dei in iniustitia detinebunt?*

Exod. 34. Moses cùm facie radianti & lucida à colloquio Dei rediens ad populum descenderet, probi splendorem hunc & iubar demirantur, eumque rogant, faciem vt velo obtegat, quòd emicantem inde fulgorem irretortis ferre oculis non possent, & tectus ipsos alloqueretur, satis illius se credere orationi & verbis asserentes, tametsi vultum loquentis non intuerentur. Quid hîc aiunt impij? radios hos irridĕt, suisque è sannis etiam leporem affectantes, cornuto eum capite fuisse iactitant. Tu, ô Saluator mi, verus
Hebr. 1. hic Moses es. tu namque *splendor* & candor *gloriæ*
Iac. 1. *Patris* tui, tu *Deus de Deo, lumen de lumine*, & claritas
Matt. 17. *Patris luminum.* Tu es, cuius vultus in admirabili transfiguratione tua instar solis refulsit, cuiusque ve-
Psal. 103. stimenta candorem sunt niuis imitata: tu es, qui *vestiris lumine sicut vestimento:* sed in hoc mysterio, nostrorum vt imbecillitati oculorum te accommodares, sub specierum velamine atque cortina lates.
Cant. 1. Hicque boni te diligunt, teque adorant, ex omnipo-

tenti verbo tuo te agnoſcentes: ſed impij & increduli, qui infinitæ potentiæ tuæ oceanum ſimplicis rationis ac iudicij ſui cymbula conſcendere nituntur, quaſdam ſibi impoſſibilitates in te, *apud* quem *omne verbum poſsibile eſt*, comminiſcuntur; & quod intelligere & comprehendere nequeunt, repudiantes, in *verba* prorumpunt *præcipitationis*, tibi quodammodo cornua ſacrilega quadam impietate affingentes, dum in primum communis Chriſtianis omnibus credendi formulæ articulum, quo tua docetur omnipotentia, fœdè impingunt. Luc. 1. Pſal. 51.

Quid, quæſo, deterius ſceleſti illi, qui te cruci confixerunt, facere carnifices potuiſſent? nam etſi inter opprobria & contumelias, quibus hi te obruerunt, ipſa vultus tui velatio, interrogatioque, quâ petebant, quis te percuteret, perinde ac ſi oculi tui trans velum nihil vidiſſent, non inter poſtrema fuit: in eo tamen inexcuſabiliter excuſari ſunt digni, quòd te vt Deum nec haberent, nec crederent. At viros, qui ſe Chriſtianos iactant, & quidem Chriſtianiſmi purioris, qui ſemper & vbique fidem tuam crepant, qui tuam paſſim iactant omnipotentiam, dubitare, num corpus ipſe tuum iam à morte rediuiuum, glorioſum, ac ſpirituali modo ſeſe habens, ſub ſpeciebus panis & vini occultare potueris; intolerabile prorſus eſt & omnem ſuperat fidem. Id enim te facere voluiſſe, apertè cuiuis vel aliquam rationis micam habenti perſuaſerint apertiſſima illa verba cẽtum ſolibus clariora. *Quis dabit capitibus* noſtris *aquam, & oculis* noſtris *fontem lacrymarum, vt ploremus* eo quo oportet modo palpabiles tam ſenſibilis cæcitatis tenebras? Matt. 25. Ierem. 9.

Quàm igitur verum columnam, quæ Iſraeli erat adinſtar ignis lucens & rutilans, tetram & obſcuram Aegyptio nubem fuiſſe? Dicit hæreticus, nihil ſe hoc in Sacramento præter panem videre, at Catholicus nihil videt viſibilius ac clarius quàm inuiſibile hoc myſterium. quæ perſpicacitas fidei eſt oculis aſcriben-

benda, quos diuinæ bonitati illi visum est communicare, bonitati inquam, quæ sit in æternum benedicta & adorata.

An non satis tibi erat, carissime animarum nostrarum Saluator, corpus trium ac triginta annorum spatio sumpsisse, in quo omnia opprobriorum genera perferres, nisi simul te quotidie in Venerabili hoc Sacramento non modò exulceratis flagitiosisque cōscientijs in prædam cibumque, verùm etiam infidelium hæreticorumque sannis & ludibrio exponeres?
Matt. 25. Cùm video Herodem tibi alba induto veste illudere, necnon Iudæos in te purpurea lacerna circumdatum insultare subsannantes; an non reipsa Nouatores hodiernos videre videor, qui nos irrident & exsibilant, quòd sub candidis rubricantibusque panis ac vini speciebus corpus tuum ac sanguinem venerantes adoramus? In hoc siquidem mysterio, dilectissimi,
Cant. 5. *dilectus* noster *candidus & rubicundus est.*

An non, ô scelesti, tristem & infortunatam male-
Gen. 9. dictionem Chami perhorrescitis, cùm nudã boni huius patris, qui amoris sui vino (qui est ille mons *ma-*
Cant. 4. *lorum punicorum*, cuius liber Canticorum meminit) ebrius, corpus suum ac sanguinem tam liberaliter, nedum prodigè, prostituit, simplicitatẽ exploditis? An nō, cùm tam iniquè maleuoleq; apparatus nostri solennis magnificentiam, velut inutilem & superfluã impensam sugillatis, veremini, ne eadem cum perfido Apostolo forte inuoluamini, qui feruidam illam peccatricem ob effusa vnguenta profusionis insimu-
Matt. 26 lans, obloquendo & murmurãdo aiebat, *Vt quid perditio hæc?* vtq; inuidiam odiumq; suum honesta aliqua
Marc. 14 specie palliaret, subnectit, *Potuit enim istud venundari, & dari pauperibus.* O scelestum, exclamat auriloquus ille Petrus Chrysologus! de pauperibus quidem aliquatenus sollicitus erat; sed hac ille sollicitudine auaritiam suam & ferale, quod in Saluatorem Iesum conceperat odium, velare satagebat; ecce *par-*
Psal. 7. *turit iniustitiam, concipit dolorem, & parit iniquitatem,*

sed

ſed *iniquitatem, quæ in verticem* ipſius *deſcendet!* *Ex-* *Pſal. 72.*
urge, Domine, iudica cauſam tuam: ſuperbia enim *eorũ qui te oderunt aſcendit ſemper*: vel potiùs *iudica rem* noſtram, *& diſcerne cauſam* noſtram, *de* hac *gente non* *Pſal. 41.*
ſancta, & à contradictionibus his libera nos: tuere nos, quemadmodum Magdalenam ab calumnijs iniqui vindicaſti, hoſce quos tibi deferimus honores, ab aduerſariorum noſtrorum opprobrijs aſſerendo.

Non ignoramus Domine, ab Apoſtolis te tuis, ob iniuriam multis partibus minorem, inuitatione plus nimio auſtera & aliquantum imprudenti & indiſcreta rogatum eſſe, ignem vt cælo dimitteres, vel, vt tuo ipſimet nomine hunc deuocarent, permitteres; ſimul etiam ſcimus, quàm modeſtè benigneque præcipitem hanc ipſorum petitionem caſtigaris, ad omnem eos manſuetudinem & clementiam adhortatus. Pro ipſorum igitur conuerſione te, non verò ſubuerſione, rogamus: *non vis* enim *mortem peccatorum, ſed magis vt conuertantur & viuant*; cùm *non perdere venerit* filius hominis, ſed *ſaluum facere quod perierat*. *Ezec. 33.* *Matt. 18.*
Præſta itaq; vt Samaritani hi te videãt, teq; recipiãt.

Tametſi verò inuincibili ex ignorantia longè intolerabiliores & mordaciores in te ſannas & blaſphemias eructent, quàm in Eliſæum olim malè edocti pueri iactauere; noli tamen permittere, vt iuſtæ *4. Reg. 4.*
vltionis tuæ vrſi ad eos deuorandos deſcendant. Vitam ipſis vt indulgeas, per mortem te tuam obſecramus, noſtram ipſorum parati pro ipſis impendere, ſi id vel nominis tui gloria, vel ſalus errantium requirat.

At non aduerto, me, dum triumphalem ſacræ Euchariſtiæ currum ſequi ac ſtipare potiùs deberem, ab inſtituto deflectere meo, interim dum eos inſector, *qui in via & errore Balaam abeunt, & in contradictione Core pereunt*; cumque veluti in feſto Palmarum, *Iud. epiſt.*
cum ſimplicibus, *Gloria in excelſis Deo*, & *Benedictus qui venit in nomine Domini*, canere lætus deberem, cum inuidis Phariſæis ob publicam hanc *Luc. 2.* *Matt. 21.*

cele-

celebritatem feſtiuitatemque ringentibus altercan-
do tempus terere, & ijs confundendis inhærere, qui
Ioan.6. Capharnaitas imitati dicũt, *Quomodo poteſt hic nobis*
Pſal.77. *carnẽ ſuã dare ad manducandũ?* tanquã ſi *qui pluit* ſicut
puluerem coturnices in deſerto, *& panem Angelorum*
diſtribuit, in ſæculi huius noſtri deſerto *panem vi-*
uum, carnem inquam ſuam *pro mundi vita datam*, no-
bis etiamnum hodie communicare non poſſet.

Fremat igitur *infernus*, & è *portis* eius errores ve-
Apoc.9. lut fumus & locuſtæ è puteo Apocalypſeos erum-
Pſal.2. pant: *fremant gentiles & meditentur inania aduerſus*
1.Cor.1. *Dominum & aduerſus Chriſtum eius*; nos Ieſum *præ-*
dicabimus & honorabimus *crucifixum*, atque etiam
transſubſtãtiatum, *ſcandalum* quidem *Iudæis*, fateor;
ſtultitiam autem gentibus, concedo; *ipſis autem* electis
& *vocatis* inſignem & ſummam *ſapientiam*.

Eſth.6. Inuidi & ſuperbi Amanes rabie & liuore, prout
libuerit, deſperabundi rumpantur; nos pauperem
hunc Mardochæum, in cruce adeò contemptum &
Matt.28. exploſum, agnoſci volumus, vt eum, cui *omnem Pa-*
Pſal.2. *ter dedit poteſtatem in cælo & in terra*; & qui *gentes* in
hæreditatem, & in *poſſeſsionem* illimitatam *terminos*
terræ accepit.

Dan.6. Danielem nos noſtrum è lacu ac faucibus leonum
educere volumus, vt eum omnibus Babylonijs Sa-
Pſal.5. trapis ac dynaſtis altiùs efferamus. *Sepulchrum pa-*
tens, quod nonniſi fœtorem & tetram mephitim ex-
halat, *guttur* horum illuſorum *eſt* Domine, *linguis*
ſuis dolosè agunt; iudica illos ſecundùm iniquitates ipſo-
rum, & *ſecundùm multitudinem impietatum eorum*
expelle eos.

Gen.37. En, vt dilectus noſter Ioſeph, iam olim in ciſter-
nam demiſſus, malè à fratribus habitus, iniquè ven-
ditus, falſis criminibus accuſatus, iniuſtè in carcerem
compactus, tandem victor & glorioſus triumphet,
& *dominetur in vniuerſa terra Aegypti*. Omnes igitur
creaturæ lætis acclamationibus ac plauſibus trium-
phalem diuini huius Saluatoris currum, ad inimico-
rum

rum suorum confusionem, & fidelium clientum, qui demissè eum adorant, consolationem reboantes, sequantur.

Cantemus, eia, *Domino canticum nouum, laus eius resonet in Ecclesia Sanctorum, lætetur Israel*, plebs inquam Catholica, *in eo qui fecit eum, & filiæ Sion*, animæ scilicet sanctæ, *exultent in Rege suo. Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei. Exaltationes Dei* sint *in gutture* sanctorum, *& gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges* terræ *in compedibus*, vinctosque post triumphalem gloriæ Domini sui currum trahendos. *Psal.104.*

An non plusquam æquissimum ac rationi conueniëtissimum est, triumphales nos honores *Agno dominatori* & domitori *terræ*, inferorum conculcatori, mortis exterminatori, vitæque reparatori decernere? Nimis quàm *dignum ac iustum est*, hoc nos illi deferre obsequium, & *semper & vbique* has illi *gratias agere, sed in glorioso hoc potissimùm die* eum *gloriosius prædicare, quo* non iam *pascha*, sed illustris veri Agni paschalis triumphus celebratur, qui, vt canit Ecclesia, *Isaiæ 16.*

Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.

II. Quid? minorne nostra futura est verum erga solem, quàm Hebræorum veterum ipsas erga vmbras fuit obseruantia ac studium? *Lex* quippe vetus nonnisi *vmbram habebat futurorum*, quòd *omnia* priscis *in figura contingerent*. Porrò si, quos illi arcæ suæ testamenti detulêre, honores expendamus, stimuli illi nobis futuri sunt loco, ad maiores veritati, quã psi modò habemus, deferendos, & feruentiora obsequia impendenda. *Hebr.10.* *1.Cor.10.*

Si ad omnia, in quibus Apollinis sui erectæ erant effigies, honorem & venerationis cultum affluere loca Ethnici credebant; quantò potiùs credere nos oportet, omnem, quæ possibilis est, magno huic

 sacra-

facramẽtorũ legis nouæ ſoli gloriã deferri oportere?

Matt. 5. Marc. 4. Luc. 28. *Nemo accendit*, inquit Euangeliſta, *lucernam, & ponit eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Te nos, ô ſacra Euchariſtia, mortalis peregrinationis noſtræ lampas & fax, *lu-*

Pſal. 118. Matth. 5. *cerna pedibus noſtris, & lumen ſemitis*, ſed lampas perpetua, & lumen inexſtinguibile, in ſummo *ciuitatis* huius ſuper *montem poſita*, Eccleſiæ inquam ſanctæ, quæ in inuiſibilitatis cauernis *abſcondi non poteſt*, pinnaculo & acroterio collocare volumus; nec non

Cant. 8. *vt ſignaculũ ſuper brachia* noſtra, *& ſuper corda* noſtra *ponere*, Deũ deniq; noſtrũ ante oculos noſtros habe-

Matt. 10 Luc 9. re, ſciẽtes hunc à filio hominis *corã Patre* ſuo cæleſti *negatũ iri, qui* ipſum *coram hominib. cõfiteri erubuerit.*

Dic, obſecro, quid aliud erat benedicta illa fœderis arca, in veteri lege adeò decantata, niſi ciſtula quædam ex incorruptibili ligno Sethim compacta, introrſum atque extrorſum auro obtecta, cuius o-

Exod. 25. Hebr. 9. perculo gemini inſiſtebant Cherubim auerſis ſe inuicem præ admiratione vultibus intuentes, ſed quæ interiùs in aurea vrna mannæ menſuram (cui Gomor nomen) ad perpetuam ſubminiſtrati in deſerto cæleſtis huius alimenti memoriam; nec non virgam, quæ fronduerat, tot prodigiorum operatricem, denique lapideas legis tabulas ipſo digito Dei inſcriptas continebat? Cur verò tantum rebus hiſce, quæ nihil in ſe habere diuini videntur, honoris deferebatur? ob Dei ſcilicet, qui *propitiatorium hoc inumbrabat*, & id ceu *pedum ſuorum ſcabellum*, & velut throni ſui ſuppedaneum habebat, præſentiam. An non eximiam, dilectiſſimi, in arca ſacratiſſimæ Euchariſtiæ figuram perſpicitis? Erat ſiquidem arca è ligno imputribili compacta, eſt & Euchariſtia: in hac namque Saluatoris noſtri Corpus morti nõ amplius obnoxium, ſed glorioſum deliteſcit; deinde ſancto

Pſal. 15. huic ſanctorum *datum eſt non videre corruptionem*; denique arboris vitæ id fructus eſt, atque ideo mortis viciſſitudini immutationique ſubditum non eſt.

Specie-

Specierum quidem accidẽtia, fateor, corrumpi possunt, at corporis Dominici substantia nequaquam. Erat super hæc arca auro intus ac foris obducta; id Christi humanitatis, quæ Deus erat; & Deitatis, quæ hominem assumpserat, signum est; vtpote cuius non modò *caput*, sed & corpus vniuersum *aurũ optimum* est: est enim *totus desiderabilis*, *aurum Ophir*, aurum purissimum, & aurum potabile; aurũ in cruce contusum & extensum; aurum quod ignem, lapidem Lydiũ, caminũ, examẽ & omniũ, quæ excogitari fingiq; tribulationes possunt, probationẽ subijt. Manna veteri hac in arcula asseruatum, sacramenti huius verè adorandi imago est, generaliter vniuersaliterq; ab omnib⁹ Christianum quidem nomen habentibus, tã Nouatoribus, quã Orthodoxis, ita nota & perspecta, vt qui eam plurib. vellet excutere, nę ille non minùs operam perderet, quã qui solem in meridie collucere, laboriosè conquisitis argumentis ac demonstrationib. declarare vellet. Vt taceã suo Redemptorẽ ipsum ore id manifestè apud Iudæos designasse, cũ ait, *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: si quis manducauerit ex hoc pane viuo, quẽ ego dabo, viuet in æternũ.* Florens itẽ Aaronis virga an nõ vera sacrę humanitatis Iesu Christi figura est, de qua nimirũ scriptũ est, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet, & requiescet super eũ spiritus Domini.* Virga scil. virgine egressa, vti flos sine vlla læsione stipite suo enascitur; virga inquã prodigiosa. quis .n. tot vnquã prodigia & miracula ac Redẽptor patrauit? nã verè *Deus solus est, qui facit mirabilia* magna. virga etiam florida: an non enim Saluator ipse *flos campi* est, in diuinissimo hoc Sacramento exposit⁹ cuilibet carpere & colligere volẽti? Deniq; ipsę legis tabulæ lapidi trãsforato inscriptæ in arca asseruabantur: ipsa porrò sacra Saluatoris Iesu humanitas, in Eucharistia exhibita, an non lapis & petra quædam fuit (*petra autem erat Christus*) ait Apostolus) & petra quidem constantiæ ac soliditatis, &

Cant. 5.
Psal. 18.
Ierem. 10
Ioã. 6. 49
Isaia 11.
Psal. 85.
Psal. 135.
Cant. 2.
1. Cor. 10

1.Pet.2. *Lapis angularis, & in fundamento* fundatus; lapis sex-
Isaia 28. centis malleorum ictibus adaptatus, lapis denique perforatus, quando nimirum in cruce confixus, manibus pedibusque clauis transforatis, latere quoque aperto, & corde lancea transfosso pependit? Quid igitur aliud nobis hodie sanctam hanc arcam nostram intuentibus faciendum est, quàm Cherubinos æmulari? quamobrem magno cum stupore diuinæ bonitatis nostræ se humilitati indignitatique tam amicè beneuoleque communicantis exstases excessusque admiremur.

Omnis Israelitarum fortitudo in Arca hac sita e-
1.Reg.4. rat, semper hæc in prima illorum acie versabatur:
Rom. 8. cùm *Deus pro* ipsis pugnabat, *quis contra* ipsos præualere poterat? Hæc vt animos illis addebat, ita inimicos & aduersam aciem terrore complebat; hinc illi vni omnes suas de hoste relatas victorias Israel ascribebat, & sola ipsa de ipsius conflictibus triumphabat. Inde etiam tot illustrium Dauidi Psal-
Psal. 67. morum scribendorum enata occasio: *Exurgat Deus,*
Psal. 82. *& dissipentur inimici eius. Pone eos vt rotam Deus*
Psal. 131. *meus, & sicut stipulam ante faciem venti. Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Cùm verò iniquitatibus se suis indignos Hebræi redderent, qui diutiùs pretiosum hoc pignus asseruarent, in conflictu in Silo ipsi fusi fugatique turpiter sunt, arca autem Philisthæis in prædam cessit: cuius amissionem adeò omnes doluêre, vt cùm rei huius primùm Heli Pontifex factus est certior, non sic eum filiorum consternarit occasus, quàm sacri huius the-
1.Reg. 4. sauri iactura. Vt enim è cladis nuntio audijt, *arca Dei capta est*, cecidit de sella retrorsum, & dolore mœroreque perculsus exspirauit. Certissimum porrò est, fratres, in Eucharistia ipsa omne nostrum robur situm esse, vti horum dierum aliquo vberiùs pro concione declarabimus: hinc quamdiu sub eius militabimus insignibus & auspicio, certissimò nos manebit victoria: at si peccatis nostris fiat, vt eiusdem nobis

nobis possessio magis in culpam cedat, quàm seruitio beatos reddat; verendum profectò est, ne *praeualeant inimici* aliquando *aduersus nos*, & *portæ inferi* tot errores & errones per miseram hanc Galliam nostram iam olim ab id genus spiritualibus monstris immunem eructent, vt *paterfamilias vineam suam* aliò transferre, & *alijs eam agricolis* gnauiùs multò & diligentiùs eam excolentibus *locare* compellatur. Hanc igitur calamitatem imminentem sancta quadam animorum morumque conuersione à ceruicibus nostris auertamus, ac speremus, quemadmodum tot Israelem benedictionibus, Philisthæos verò, iniquos eiusdem possessores, malis & cladibus Arca Domini oppleuit; ita & à nostra aduersarios nostros castigandos, nos verò, si gratiarum illius influxibus nos dignos reddiderimus, in omni aduersitate protegendos. Psal. 12. Matt. 21. 1. Reg. 5.

Quas porrò iniurias Philisthæi, idolorum cultrix & incircumcisa gens, Arcæ intulêre? suum ei sunt ausi in collegam ac socium Dagonem dare, illius in fano eam collocantes. Sed, ecce, postera luce Dagon manibus, pedibus & capite truncus, ac multiplices in partes per fanum hinc inde sparsas, in signum probrosæ illius ruinæ, dissectus apparuit; vt hinc liquidò pateat, *non esse in fortibus*, qui Deo Israel sit *similis*. Dicerene ausim, fratres, ætatis nostræ Nouatores pari quadam audaciâ impietateque opinionis suæ hæreticæ idolum, & imaginariam & vmbratilem suam cœnam cum veritate Catholica componere audere? Quis verò non tot illorum Dagonem in frustula comminutum videt, quot illi ipsi in varias credentium distincti sunt sectas ac discrimina? quis inquam non videt, figuras, vmbras, significationes, spiritualismos ipsorum non aliter in vanum atque auras abire, quàm ad ventum fumus, ad solares essentialis præsentiæ, quam ipsi credimus, radios ros euanescit? Cur, ô miseri errones, *altare contra altare erigitis, exaltantes cornu* vestrũ *in altum*, iniquè *aduersus* Exod. 15. Psal. 74.

Hebr. 13. euidentem cæli vocem *loquentes*? Ingenueque agnoſcite, *habere nos menſam, de qua edere non habent poteſtatem, qui* veſtro exemplo in priſcis *tabernaculi* figuris pueriliter hærent. Dagonis clade & exterminio, obſecro, ſapite.

Vos verò Catholici, quò illi magis ſe huic opponunt, eò magis ac feruentiùs illius cultum propagate, non ſecùs atque ignis ſæuiente frigore calentior
Ioſue 3. fit & inaugetur; contradictionum quoq; illorũ *aquas pertranſite*, arcam veſtram præeuntem ſequentes, ſimulq; in memoriã reuocantes, quemadmodum olim Hebræi pede ſicco Iordanis alueum, ſacro hoc pignore agmen vniuerſum ducente, pertranſierunt: ita diuino hoc ſalutis noſtræ pignore, ſanctiſſimæ ſcilicet Euchariſtię ducatum præſtante, omnia vos obſtacula & impedimenta occurrentia poſſe perfringere. Si, aiebat Dauid, Dei ſui præſentis fretus fiduciâ,
Pſal. 26. *conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi*
Pſal. 17. *exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo: in*
Ioſue 6. *Deo meo tranſgrediar murum.* Id videre in Ierichuntinis fuit muris, qui ceu nix ante faciem auſtri, ante arcam Domini diffluentes, ad terram collapſi ſunt.

Sed videte, vt hanc arcam eo, quo par eſt, cultu &
1. Reg. 6. ſequamini & geſtetis; nolite recalcitrantes illas imitari vaccas, quæ vitulorum ſuorum audito mugitu retrogredi geſtiebant, vnde in ſummo è plauſtro, quo vehebatur, excidẽdi ipſa diſcrimine verſabatur. Nolite hoc in myſterio naturalium rationum diffua-
Matt. 16. ſum repugnantiamque ſequi: *caro* enim *& ſanguis*, id eſt, iuxta expoſitionem SS. Auguſtini & Chryſoſtomi, carnalis & plumbea intelligentia, in adyton hoc
1. Cor. 2. penetrare nequeunt; atque *animalis* homo & carnalis *non* facilè *quæ* ſpiritus *Dei ſunt*, ingenio ſuo *percipit.* Nouatorum & errantiũ eſt peruicaciter *contra*
Act. 9. diuinæ potentiæ *ſtimulum calcitrare*, & indubitata ſoleque meridiano clariora Dei verba ſurſum deorſum inuertere.

Ipſum

Ipſum verò *Ozæ* factum in ſpeciem quidem obſequioſum, quod nutantem Arcam ſua ſuffulcire manu conabatur, repentina tamen ob hanc temeritatem morte puniti, laicis ac profanis documento eſt, ne temerè importuneque ſe rerum ſacrarum tractationi, & ſacroſanctorum librorum interpretationi immiſceant, niſi ſuæ præ nimia curioſitate fidei, fidei inquam, quæ magis animæ ipſorum vita eſt, quàm Ozæ anima corporis illius vitam cauſabatur, amittendæ diſcrimen adire velint. *2. Reg. 6.*

Metuite etiam, ſæculares, probroſam & infamem Bethſamitarum caſtigationem, quòd per terras ſuas pertranſeuntem Arcam curioſè nimis, vt quidem cēſent alij; aut, vti aliorum opinio eſt, minùs reuerenter intuiti ſint. *1. Reg. 10.*

Si duos Elias pentecontarchos vnà cum turmis ſuis ab igne cælitus delapſo fecit abſumi, quòd non ea, qua Prophetam ac virum Dei par eſſet reuerentia, ipſum eſſent allocuti; quomodo, obſecro, ſibi metuant neceſſe eſt eos, qui coram Venerabili Euchariſtiæ Sacramento minùs decorè ac reuerenter ſe gerunt? *3. Reg. 1.*

Vos verò ſacerdotes, qui tremenda hæc myſteria ordinariè & quotidiè tractatis, muneri ac partibus veſtris diligenter intendite: eſtis quippe Chriſtophori, ac Chriſtigeri, in hoc ipſo glorioſiſſimæ Virgini matri perſimiles: vt enim ſuum illa fructum ventre tulit, ita vos eumdem manibus geſtatis. Nolite, per Deum immortalem, Abiatharem ſacerdotē imitari, qui quanquā arcam Domini ante Dauidem geſtaret, proditionem tamen ac conſpirationem aduerſus eumdem in pectore moliebatur: Benigna nihilominus veri Salomonis clementia ſpē vobis faciat, qui eò pœnitentias veſtras admittet libentiùs, à morte vos liberans, quò humanitatis eius arcam in ſacroſanctis ſupplicationibus ante faciem Patris ſui æterni geſtaſtis humiliùs. *3. Reg. 2.*

Ac ſi placuerit, notetis velim, quomodo in ſa-

in ſacris pijſque hiſce ſupplicationibus ſynagogæ veteris veſtigijs Eccleſia noſtra inſiſtat, vtpote è cuius ipſa ruinis conſtructa eſt. Vt enim Domini arca à Moſe diuino iuſſu concinnata primò aliquanto tẽpore ſub papilionibus & tentorijs habitauit, quando
Hebr. 13. nimirum Iſrael in deſerto caſtra metabat, *manentem ciuitatem non habens*. Deinde in tabernaculum illata fuit; poſtremò in templum, inque eius oraculum auguſtiſſimum, quod Sanctum Sanctorum vocitabatur. Sic etiam in hac, quæ hodie in triumpho Euchariſtico peragitur, cerimonia cernere eſt, quomodo arca noſtra ſub papilionibus quodammodo agat, quando ſcilicet per compita ſub vmbraculis & vmbellis defertur: in portatili verò tunc conquieſcit tabernaculo, cùm hinc inde in repoſitorijs collocatur; denique ad altaria refertur, omnibus toto hoc octiduo palàm propoſita, vt *ab omni* omnino *populo adoretur*, idque in templorum loco venerabiliſſimo & digniſſimo.

III. Luc 2. Ioan. 1. Ioan. 6. Phil. 2.
Eamus igitur, cariſſimi, & *tranſeamus* cum iucunditate *vſque in Bethleem*, & *videamus hoc Verbum*, quod *caro factum eſt pro mundi vita*. An non ſufficiebat tibi, benigniſſime Saluator, eò te in natiuitate humilitatis veniſſe, vt *ſimilitudinem hominum* indueres, in tenui paupereque ſtabulo naſcereris, in præſepio reclinareris, panniculis pauperculis inuolueris, ab animalibus circumdareris, à Paſtoribus ſalutareris, verè ærumnarum humanarum ſocius factus, niſi te etiam iam gloria donatus, in Venerabili hoc ſacramento pari contemptui abiectionique ob-
Cant. 8. ijceres? *ô fortis* pluſquam *mors dilectio!* ô, quam *nullæ exſtinguere* valent *aquæ, caritas!*

Altare hoc, ſi ſtabulum non ſit, menſa tamen eſt: mappæ quoque hæ an non è cannabi vel lino (quod ſtraminis genus eſt) contextæ ſunt? omnia hæc ornamenta nonniſi ſtramenta ſunt, ſi cum veri huius Sa-
Iſaiæ 37. lomonis *ſedentis ſuper Cherubim* throni dignitate & magnitudine comparentur: corporalia hæc ceu panniculi ſunt; etſi non ouium, certè populorum Paſto-

res

res ipsum circumcingunt. Vtinam verò in conferta hac hominum multitudine nullus inueniatur in sensuales ita voluptates inclinatus, vt videatur bos & asinus, vel *equus & mulus, quibus non est intellectus*; *Psal. 31.* sed potiùs Mariæ ac Iosephi, animę scilicet simplices, & ab omni sorde puræ, hic adsint.

Moses gaudio ob Arcæ conspectum exultans, dicere de Hebræis olim non dubitauit, nullam esse in orbe *nationem tam grandem, quæ habeat deos ita sibi appropinquantes*, vti suum habebant Israelitæ. si hoc *Deut. 4.* ille de solo vmbræ conspectu dicere non est veritus, quid ipsi, non dico de visu, non de tactu, sed de manducatione ipsa veritatis dicamus? De benedicti quidem sponsi sui natiuitate sic canit Ecclesia,

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine;

at de sacramento hoc verè adorando,

Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verè itaque in hoc Sacramento dicere possumus, suas Dominum oues pane Angelorum pascere, & quidem affectu longè ardentiori ac suauiori quàm ipsos Angelos. Angeli namque diuina quidem reuera victitant substantia, sed eam dumtaxat videndo: homines porrò eam etiam manducant, eaque enutriũtur, Deo scilicet manente in ipsis, & ipsis in Deo. O hominum priuilegium plusquam angelicum!

Nolite ergo posthac, ô Balthazaris regis arioli dicere, *Deorum non esse cum hominibus commercium.* *Dan. 2.* Ecquæ enim intimior, arctior, & familiarior fingi cogitarive posset conuersatio, quàm amantem & amatum inuicem incorporatos & conglutinatos cernere?

Hic, ô benignissime magister, palàm & liquidò veritatem illam ostendis, quam de te olim per Sapientiæ os dixisti, *Delector per singulos dies ludens in orbe terrarum; deliciæ enim meæ esse cum filijs hominum.* *Prou. 8.*

Hîc verè ijſdem de ſecundo Adamo, innocente & puro, verbis repetere poſſumus, quod per irriſionem primo, rebellione & inobedientia inquinato, dum falſo diuinitatis ſe compotem fore ſperat, olim
Gen.3. Deus obiecit, ***Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.***
En vt in medio noſtri incedat, hominem induens,
Pſal. 81. *Rom. 8.* & homo factus, vt nos viciſſim faceret *Deos, & filios Excelſi, hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.*

Non poſſum tamen, quin ceu tuba quædam Euangelica, amicas beneuolaſque *adinuentiones*, & benignas benigniſſimi Domini familiaritates *in populis annuntiem*: fingite vobis Regem ruſticæ cuiuſdam puellæ amore captum: hic igitur vt occulto quodam amoris, amantem in obiectum amatum transformantis, artificio illius beneuolentiam ſtudiumque captet, regia exuit ac deponit ornamenta, ruraleſque ſumit lacernas, quò faciliùs illius ſe colloquio inſinuet: trabeam ergo in cannabinam, & byſſinam in laneam viliorem commutat; quique affluere commodis ſolebat, incommoda vltrò ſubire non dubitat. quid demum non agit, quò ſe dilectæ ſuæ conditioni qualitatique conformet? Haccine in imagine Domini noſtri Ieſu Chriſti amantis mores expreſſos videtis? vt affectus nimirum noſtros vltronea ſibi reddat mancipia, ſeque ipſe in animos noſtros inſinuet. Quia enim nouit omne animal ſibi ſimile & homogeneum diligere; hinc humanam carnem ſibi circumdat, fitque noſtri ſimilis, ac naturam noſtram aſſumit: quin etiam vlteriùs progreditur: cognito namque adeò delicati nos eſſe palati, vt vel ob vnam pomi vetiti buccellam primus parens noſter & ſe, & ærumnoſam poſteritatem ſuam omnẽ morti in prædam dare non dubitarit; cibum ſe noſtrum superſubſtantialem ac verum efficit, nobis vt vitam
Ioan. 14. daret; hoc ſcilicet pacto oſtendens, *eſſe* ſe *viam, veri-*
Sueton. *tatem ac vitam.*

in vita Caligula Imperator, vt militum ſibi beneuolentia
c.9. ad Imperium Romanum viam ſterneret, adeò ſe illis

fami-

familiarem reddebat, etiā peditibus, vt manipularij peditis ritu semper caligatus, Caligulæ cognomentum inuenerit. Sic corporis sui substantiam sub panis accidentibus in Eucharistico Sacramento Redemptor, quò nostris sese vsibus attemperaret, receptuque se facilem redderet, occultans sæpè *panis*, sed *viuus* & *cælestis*, *calix salutaris*, & *cibus diuinus* appellatur.

Reges importuniorem sui splendoris magnitudinem interdum perosi, eam aliquantisper seponunt, in libertate, & rustica quadam tenuitate gaudentes viuere. Vnde egregiè Lyricus cecinit:

Plerumq; gratæ Principibus vices,
Dulcesq; paruo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis & ostro
Implicitam explicuêre mentem.

Mira de clementi magnoque Rege nostro Francisco Primo in hoc comitatis genere vulgò feruntur, in quo cùm ingenij sui patefecit industriam, tum naturalem etiam clementiam ac benignitatem. At quænam dari fingique potest familiaritas par ei, qua nobiscum terræ vermiculis Regum Rex in hoc sacri corporis sui epulo conuersatur?

Domine, *quid est homo*, percontatur Iob, *quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? visitas eum* familiariter, vt *probes*, an *rectum* sit *cor* eius *erga* te. Benedictus igitur esto in æternum. *Iob 7.*

Non iam amplius obstupescam, vbi legero, B. Elisabetham Hungariæ Regis filiam, cum domesticis & honorarijs puellis clanculò sese oblectantem, pauperculæ schemate indutam apparere voluisse, vt saltem in imagine paupertatis, quæ sancti amoris ergô suscipitur, suauitatē experiretur. Multò etiā minùs, cùm Alexium, illustri ac patricia natum stirpe, septemdecim ipsis annis paterna in domo egētis peregrini specie, cui miserati domestici, angusti tugurij

vsum

vſum conceſſerant, diuerſantem videbo. Sunt ſiquidē hi egregij quidā pietatis exceſſus, ab illuſtrib. hiſce generoſiſque animabus cum extraordinaria quadam perfectione vſurpati: ſed quid hi ſunt, aut in quo cū vehementibus cordium noſtrorum amatoris exceſ-
2. Cor. 8. ſibus, qui non modò *pauper factus eſt, vt nos eius inopia diuites eſſemus*, ſed etiam proprium in alimentum noſtrum prodegit corpus, pariandi?

Propria exuta aliam interdum formam induit, vt
Luc. 24. amicis ſe ſuis commodiùs ſpectandum daret, vt, cùm
Ioan. 20. binis illis diſcipulis in Emaus abeuntibus peregrini ſpecie, Magdalenæ hortulani, SS. Martino & Grego-
Matt. 17. rio mendici inopiſque videndum obtulit; in transfiguratione quoque tribus è reliquorum numero ſegregatis diſcipulis fulgida facie, & veſtimentis niue candidioribus amictus apparuit. Sed hæc omnia, quantum ipſe quidem cenſeo, nihil ſunt, ſi cum amicabili illa conferantur familiaritate, quam hoc in Sacramento non ſuis amicis tantùm, ſed etiam inimicis patefacit, non minùs blandè ſe gratanterque Iudis proditoribus, quàm fidiſſimis diſcipulorum communicans. Perpetuò memoriæ noſtræ inſculpta viuito, ô cariſſima Dei perfectæ dilectionis amicitia,
Rom. 8. & nihil nos vnquam à ſancta tua *claritate ſeparet*.

In pace abite, dilectiſſimi fratres mei, & ex hactenus à me commemoratis aliquem animis veſtris fructum elicite, voluentes animo, 1. ſolennem ſacroſanctæ Euchariſtiæ triumphum, 2. triumphum, inquam, quem exhibiti olim ab Iſraelitis arcæ fœderis honore præfigurarunt, 3. Prudenter amica dulcique hac familiaritate, quam hoc vobis in Sacramento Venerabiliſſimus animarum noſtrarum ſponſus exhibet, vtimini, & eadem abuti cauetote: cuius ſancta ſuper vos deſcendat benedictio, in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.

FERIA VI. INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

De veritate Eucharistica.

HOMILIA II.

Caro mea verè est cibus. Ioan. 6.

QVALE *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* respondebat bonus ille senecio Tobias Angelo, qui inter salutandum gaudium illi erat imprecatus. At quod deinde pio huic proboque viro obortum gaudium est, quæ lætitia, cùm præter voluptatem ex inexspectato filij, cum accepta à Gabelo pecunia, honesta coniuge, & felici connubio contracto reuersi, reditu enatam, felle piscis in ripa fluminis exenterati adplicito amissum oculorum lumen recuperauit? Quanto, eheu, dilectissimi, confici mœrore nos par est, non ob nostram quidem, sed omnium sæculi nostri errantium cæcitatem, qui *sicut cæci* propriæ obstinationis *parietem palpando* quærunt, insigni scilicet fidei luce orbati, ac *sedentes in tenebris, & in regione vmbræ mortis cæci sunt, & à cæcis ducti in foueã* erroris præcipites ruunt? *Saluos fac nos Domine, quoniam defecit* sanctitas, *quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum*, qui nonnisi *in sensuum suorum vanitate ambulant*. Quis, obsecro, nos edocebit artem, qua hanc ab oculis ipsorum albuginem tollamus, & quemadmodum Apostolo Paulo factum est, *squammas ab oculis* ipsorum, à quibus insidentur, *cadere* faciamus? Tu, ô dulcissime Iesu, ille es ἰχθυς, tu piscis ille amore nostri testis, & in monte Caluariæ euisceratus, tu magnus ille cæcutientium medicus sanguinis tui vnguine oculos caligantes inungens. Testis

Tob. 5.
Isaia 59.
Luc. 1.
Matt. 15.
Psal. 10.
Ephes. 4.
Act. 9.

Teſtis Longinus miles. Gratiam verò mihi præſta, vt potenter & perſuaſibiliter auditoribus hiſce meis tuâ hæc verba, *Caro mea verè eſt cibus*; *verè*, inquam, *verè*, non ſpiritualiter, non figuratè: denuo dico, *verè* eſt *cibus*, & *ſanguis meus verè eſt potus*, inculcem. Tuque, ô ſacratiſſima mater, cùm è *beatis viſceribus* tuis, *quæ portauerunt* Saluatorem meum, caro hæc & ſanguis prodierint, diuinum hoc nobis collyrium ſuppedita. *Aue Maria.*

Inuitarunt me, fratres ſororeſque in Chriſto dilectiſſimi, Euãgelica hæc verba, *Caro mea verè eſt cibus*, vt hodie apud vos de Catholica circa Ven. Euchariſtiæ Sacramentum veritate nonnulla declararem, vt ad luminis eius præſentiam tetræ errorum, à quibus exagitatur inobſcuraturque, tenebræ diſpellantur. quod Deo bono ac propitio facturi ſumus, naturalium 1. rationum, ſupernaturali tamen fidei ac ſacrorum teſtimoniorum lumini innixarum, pondere realis corporis Dominici in ſanctiſſimo Altaris Sacramento præſentiæ veritatem ſtabilientes. 2. inquiremus, quibuſnam potiſſimùm cauſis errantes ad manifeſtam hanc adeò veritatem impugnandam adducantur. 3. Pro corollario ad ſancto hoc viatico debita cum reuerentia vtendum vos inuitabimus. Auſpicamur.

I. Primam rationem manna in deſerto Iſraëlitis datum ſubminiſtrabit. itaque noſtrum ſic concinnabitur argumentum. Certiſſimum eſt, & tam ab orthodoxis quàm hæreticis vt indubitatum admittitur, *Exod. 16.* panem hunc cæleſtem, Angelorum manibus & compoſitum & Hebræis diſtributum, Sanctiſſimi Sacramenti corporis & ſanguinis Dominici figuram exſtitiſſe. *Ioan. 6.* *1. Cor. 10.* Id adeò quidem manifeſtè tum ex Euangelio, tum magni Pauli Epiſtolis eruitur, vt nullus dubitandi ſupereſſe poſſit locus. Cæterùm vobiſcum diſpicite, fratres, num credere fas ſit, ipſis figuras veritatibus digniores eſſe, vmbram ſole excellentiorem, & hominem nonniſi in tabula depictum vero viuentiq; longè

longè anteſtare. Nullus, ſi vel parum ſapiat, eiq; vel mica ſit ſalis, abſurdam hanc præeminentiam admittet: in hanc tamen abſurditatem hæretici noſtri labantur neceſſe eſt, ſi modò primam propoſitionem, quæ prorſus irrefragabilis, concedant. quod ad oculum oſtendere haud operoſum fuerit.

Manna panis erat cælicus, de quo Pſalmiſta cecinit: *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Caluiniſticus verò, quem in falſa ſua vſurpant cœna, nonniſi ſimplex vulgariſque eſt panis; non Angeli, ſed piſtoris manibus elaboratus; non ex æterni Patrisfamilias, ſed terrenorum horreis prouenienſ: Hebræi igitur longè digniorem quàm hi panem ac diuiniorem manducarint, tametſi *omnes* illi *ſub nube eſſent.* Quis non rei huius abſurditatem videat? *Pſal. 77.* *1. Cor. 10.*

Manna, cibus erat planè mirabilis & prodigioſus; quem proinde Pſaltes *memoriam mirabilium Domini* appellare non dubitauit. Hoc nonniſi certo ante ſolis exortum tempore depluebat, igne indureſcebat, ſole ſplendente liquefactum diffluebat: eius magnus ac paruus collecti parem ſemper menſuram habebat: qui ad ipſum colligendum ſummo mane non exierat ignaueſcens, in ſegnitiei pœnam hunc eam diem totam ieiunum traducere oportebat: omnigenos adhæc in ſe ſapores includebat: ipſum quoque in deſerto dumtaxat, non autem in terra promiſſionis collectum eſt: nomen denique eius ſtuporem & admirationem ſonat. Hæc ideo paucis hîc conglobo, ne in verbis illis Dauidicis multò ſanè me meliùs elegantiuſque ab aureo quodam è Societate Ieſu calamo deductis, exponendis plus æquo immorer. Quidnam ex his omnibus hæreticorum habet cœna, quid panis figuratiuus; panis inanis & vacuus, panis tanto à Chriſti corpore diſtans interuallo, quanto cælum à terra; panis nec viuus, nec viuificans, panis picturatus, imò minor & indignior quàm manna? *Pſal. 110.* *Lud. Richeome in tabellis ſacris.*

Benè

Benè quidem, dicet aliquis, at quid Catholicorum Eucharistia cum manna similitudinis habet? Papæ; quod istud crasso & rudiori quodam modo, nos transsubstantialiter, realiter, & transscendentaliter habemus. Quis enim, cùm Domini corpus omnipotentis verbi illius virtute verè hic præsens adsit, non videat, ipsum verè esse *panem, qui de cælo propter nostram salutem & vitam dandam descendit*; ac cibum, qui nobis sit cum Angelis, in cælis solo pulchri vultus eius intuitu viuentibus communis; nec non corpus hoc diuinorum esse mirabilium complementum ac summum; ipsum item manè in sanctissima cõmunione distribui; tantum quoque inde recipere pauperem, quantum diues; tantum vnum, quantum mille; nec plus magnum quàm paruus; adhæc peccatorem excommunicatum eodem priuatum esse, postquam à sacra fuerit mensa reiectus; omnes præterea fauores & sapores cælestes in eodem comprehensos contineri; ipsum denique esse mortalium in huius vitæ deserto viaticum, quod in terra promis-
Ezec. 3. sionis, *terra viuentium*, in cælo, vbi conformabimur
1. *Ioan.* 3. *filio Dei, videntes eum sicuti est*, non amplius sub inuolucro & velamine tectum nobis dabitur? Hanc igitur primam rationem concludamus, dicamusque hæreticum nonnisi vmbræ vmbram, at Catholicum realem essentialemque veritatem in cœna sua habere.

Alterum argumentum ab Agno Paschali mutuabitur, quem expressam omnes sciunt & credunt fuisse Diuinissimæ Eucharistiæ figuram. Quamobrem
Exod. 12. canit Ecclesia, *Iam Pascha nostrum Christus est, qui immolatus agnus est*. Et rursum, *Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datur discipulis*. Cæterùm hoc modo argumentabimur: Agnus Paschalis, etsi nonnisi Sacramenti nostri figura foret, verus erat agnus & immolatus, vita plenus, è vera constans carne; & reipsa actuq; manducabatur. Quid ad hæc nostri hæretici obijcient, dicentne panem suum excellen-

cellentiorem esse carne, animal viuens minus dignum esse quàm frumentum emortuum, vitam denique vegetatiuam sensitiuę præferendam videri? Quis porrò vanitatibus his credat? quis illis aurem commodet asserentibus spiritualem, id est, imaginariam manducationem, quæ nescio quo fidei ore peragatur, quæ non aliâ substantiâ soliditateque, quàm opinionis propriæ inanitate nititur, reali, essentiali ac vera solidiorem esse? *Beatus* ille, *qui* à vanis hisce illusionibus & *insanijs falsis* declinabit. An non, obsecro, videtis, ipsos, prout allubuerit, destruere, & rursus ædificare, mutare quadrata rotundis? in quadragesima piscem commutāt in carnem, & hanc illo sapidiorem arbitrantur; hîc verò carnem in panem, & hunc esse ista excellentiorem dignioremque volūt. Adeò vt posthac, iuxta reformatum Dei verbum, non iam legere oporteat, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*; sed inuerso ordine, per necessariam iuxta Nouatores consequentiam, *Caro, quam ego dabo, panis est.* O funesta luminis fidei carentia, in quàm *reprobum sensum*, in quos labyrinthos mentes hominum, qui rationem velut cynosuræ ductum sequentes, triste medio in cursu naufragium faciunt, impellis! Nos verò Catholici credimus, vero *Agno pro peccatis mundi immolato*, in sanctissima Eucharistia post cōsecrationem iam præsente, non iam panem ampliùs, sed veram carnis & sanguinis Dominici substantiam, iuxta indubitatum certissimę huius sententiæ decretum, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, verè adesse: quæ caro & sanguis agno sunt typico multis partibus digniores.

Tertium argumentum suggeret vitæ arbor, quæ, *Gen. 2.* vti nobiscum errantes ipsi profitentur, alia est Sacramenti Eucharistici figura. Quis verò nescit ingentem fructus huius fuisse excellentiam, vt qui à mortis corruptione corpora indemnia immuniaque præstare poterat? Mirabiles sanè hîc illum necesse foret proferre inuentiones & argumenta, qui nobis

persuadeat, panem figurantem esse *panem viuificantem*, ac panē mortuum vitā cuipiā afferre posse. Hæc siquidem ad solū panē *viuum, qui de cælo descēdit*, spectant; nonnisi ad panē, qui *factus est caro*, & *carnē, quæ spiritum habet & vitā*, nō autē ad *carnem mortuā*; ita namq; hæc *quidquam non prodesset*. Videant ergo errantes, quantū hæc mendacē suā veritatē figura anteeat ac præstet: Catholici verò Deū laudent, viso, quot partib⁹ realis ipsorū veritas, quæ verè adesse in Ven. Sacramēto Christi corpus asseuerat, huic figuræ præcellat: quanto scilicet ipse Iesus vitæ auctor, *& benedictus fructus ventris* sacratissimæ Virginis, arboris
Psal. 1. illius vitæ, in medio paradisi Ecclesiæ consitæ *secus decursus aquarum* diuinæ gratiæ, dignitate ac pretio terrestrem illam plantam antecurrit interuallo. Huc accedit, quòd cùm corpus ipsius recipimus, resurrectionis nostræ semen, arrhas & pretiosa futuræ glo-
Ioan. 6. riæ pignora recipiamus. Scriptū est enim, *Qui mādu-cat hunc panē, viuet in æternum. Amen, amen, dico vobis, nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Gen 14. Hebr. 7. Sacrificium Melchisedeci quartum nostrum futurum est telum; quod ita iaciemus: panis & vini oblatio, quā magnus hic sacerdos obtulit Deo, nota fuit, vt inter nos orthodoxos rectè conuenit, ac figura Sacramenti & sacrificij Eucharistici. Etsi verò sacrificij nomen, quod errantes nequaquam admittere volunt, quodq; exhorrent, nō minori ab ipsis iniustitiæ titulo repudietur, quàm sine ratione Sacramenti realitas veritasque negatur: non idcirco tamen propositum mihi est sacerdotium hoc multis vrgere, in ꝙ suū dare nomen Saluator Iesus non dubitauit, *sacer-*
Psal. 109. *dotem* sese dicens *in æternum, secundùm ordinem Mel-*
Hebr. 5. *chisedec*, (notate verò per transennam τὸ *in æter-*
Hebr. 7. *num*; quia, vt Apostolus loquitur, *sempiternum sacerdotium Christus habet.*) Sed Reformatæ dūtaxat religionis

gionis sectatores rogare velim, quonam igitur cœnæ ipsorũ panis legalem hunc & figuratum à Melchisedeco oblatum pacto, qua prærogatiua antecellat? hic corporis Christi figura erat, est & ipsorum, vti docent; hic nõnisi nudus erat panis, & ipsi nonnisi panẽ habent: in eo verò cedũt & inferiores sunt, quòd panis & vini à sacerdote illo facta oblatio verum sacrificium esset, & hoc ab imaginario suo mysterio ipsi reijciant; quamquam sacrificium suprema dignissimaque sit adorationis species, & sublimissimũ latriæ genus, omnis deniq; religionis essentialis character. Catholici porrò euidentissimis testamenti Patris sui verbis nixi, in sublimi hoc & incomprehensibili mysterio corporis Christi sacrificium simul habent & Sacramentum, & veritatem tantum figurâ præstãtiorem, quantum *panis viuus* morte est excellentior, *panis cæli* terreno antecellit.

Si verò argumenta hæc nimiam subtilitatem redolere obiectent, producamus alia; quæ quamquam non vsque adeò subtilia, non minus tamen præferent ponderis & virium. Numquid certissimũ est, & quotidiana cognitum experientia, panem quã manducamus, in propriæ carnis substantiam, & vinum quod bibimus, in sanguinem nos nostrum cõuertere? Aqua quã cælum ad terram irrigandam pluit, an non pro locorum, quibus incidit, discrimine mutatur? in vinea in vinum, in fructum, in frondes, in truncum, pro plantarum illam in alimentum haurientium varietate? cur verò ipsis auctoris naturæ verbis id negabimus, quod natura (quæ opus eius) quotidie vi verborum illius, quibus solis illi esse dedit, operatur? Vnicum miraculum Canense, in quo accidentia & substantia simul mutata fuerunt, nemini non rem æquâ trutinâ ponderanti persuadere debet, quòd qui illud patrauit prodigium, hic infinitâ & illimitatâ suâ potentiâ, vnius substantiæ in alteram, non immutatis accidentibus, conuertendæ artem etiam norit. *Ioan.2.*

Gen.19. Vxor Loth in ſtatuam ſalis conuerſa nihil penitus de exteriori ſua amiſit forma; mutata tantùm eſt ſubſtantia carnis in ſalis. An non hîc ſubſtantia vna ſine vlla formę accidentariæ vel exterioris mutatione mutatur? & contrà corpus è terræ rubræ, è qua
Gen.1. Adamum Deus compegit, limo formatum, vitam & carnem accepit terræ compoſitione non mutata. En terram in carnem, carnem in terram conuerſam; en tranſſubſtantiationes, quas alienis in corporibus Deus peregit; & panis in corpus ipſe ſuum conuertendi poteſtatem non habebit?

Quid igitur de certiſſima illa dicemus ſententia,
Matt.3. qua *de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ* & homines Deus poſſe dicitur? quam etiam fictis ſuis numinibus poteſtatem Ethnici attribuerunt, vt in fabula de
Metã. 6. Niobe in ſaxum conuerſa, de Deucalione & Pyrrha,
Metã.1. de dentibus Cadmi patet; quas obiter tantùm attin-
Metã.3. go, ne commentis illorum, ac tot fabuloſis metamorphoſibus, è quibus Latinorum Poëtarum ingenioſiſſimus ingens volumen conflauit, recenſendis diutiùs immorer.

An dicere errantibus auderemus, illorum quoad hoc caput fidem fide Angelorum tenebrarum,
Iac.2. *credentium ac contremiſcentium* inferiorem ac minorem eſſe? ſed quidnam hi credunt? audite, quid Sal-
Matt. 4. uatori tentator oggerat: *Si tu es filius Dei, dic vt lapides iſti panes fiant.* Videtiſne dæmonem agnoſcere, in panem à Deo lapidem poſſe conuerti, quid ni ergo panem in carnem vertere queat?

Credo equidem poſſe; cùm & natura ipſa ludens panem in ſaxum interdum vertat. numquamne vidiſtis panes, carnes, piſces, arbores, plantas in petras conuerſa? Eſt hoc adeò quidem vulgare & tritum, vt nihil magis. Apud Ciconas fluuius eſt adeò quidem ſaxeans, vt ipſa etiam eum bibentium interanea lapideſcant, nec non integrâ, ſi eidem inieceris, corpora. vnde canit Poëta:

Flumen

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit Ouid. 15.
Pectora, contactis inducens marmora rebus. Metam.

A quàm duro pectora vestra obsita sunt adamante, Nouantes, & quàm vasta vos ambit rupes, vt diuinæ ea abnegare velitis potentiæ, quæ natura etiam per lusum operatur? obseruabitis enim, si allubeat, illas, quas modò prosecutus sum mutationes, substantiæ tantùm, non omnium accidentium transmutationes esse: panis enim, lignum, viscera in pristina sua manent forma, etsi illorum materia penitus immutetur; & oculus hîc decipitur, non tactus: in sacra verò Eucharistiæ transsubstantiatione oculus ac sapor deluduntur, at non auditus. Vt enim Angelicus Doctor D. Thomas docet, cùm *fides ex auditu sit, & auditus per verbum Dei*, postquam sacramentalia & diuina iam prolata sunt verba, non ampliùs videtur id quod videtur, sed quod auditur; & *præstat fides supplementum sensuum defectui*; fides, inquam, quæ *ad cor* fidele & *sincerum* consolandum & *firmandum sola sufficit*. Rom. 10.

Discite igitur, ô errantes, nec non vos Catholici, magnam esse inter Dei & hominum verba differentiam: horum enim duntaxat enuntiatiua sunt, illius verò effectiua. Deus quippe nec pedes, nec brachia, nec etiam manus habet ad operandum: quo ergo membro & instrumento *semper operatur?* verbo scilicet; hoc nempe *potens* illius est *brachium*, hoc mirabilis & prodigiosus illius *digitus*: *ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt.* Cùm enim in magno totius vniuersi creationis opere dixit, *Fiat lux; facta est lux*: dum dixit, *Appareat arida*; aqua in vnum omnis congregata locum est: si morbido cuidam dicat, *sanus esto*, vel *surge*; morbus ecce dispellitur: si mortuo, vt ad vitam redeat; ecce ad primũ vocis eius sonum vita redit. siquidem omnia illi quã promptissimè seruiunt: vtpote qui supremus rerum omnium dominus est. Si in Aegypto aquam fluuiorũ in sanguinem, puluerẽ in muscas, virgas in serpentes. Ioan. 5. Luc. 1. Exod. 8. Psal. 32. Gen. 1. Exod. 7. Exod. 8. Exod. 7.

vertat internum illius verbum, hoc per externam
Psal. 32. Mosis operam operatur. *Verbo eius cæli firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorum* subsistit. Euolemus altiùs ad ipsum vsque Patris æterni sinum, ac videbimus Deum à Deo ab omni æternitate generari; atque id quomodo? Verbo suo. *Ego dixi Domino, filius meus es tu, ego hodie genui te*: vbi notandum venit, *Ego dixi*; quo æternum & increatum Verbum designatur. Et planissimè Apostolus Ioannes, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Peto verò à vobis, Nouatores, an, quæ in cælo verbo suo efficere potuit Deus, in terra hæc facere non possit? Cur igitur Dauid canit, *Dominus* est *in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, quæcumque voluerit facit.* Sed dicite mihi, obsecro, an qui magnum Omne è nihilo condidit, facere nequeat, vt aliquid substantiam varians aliud prorsus fiat? Mihi credite, antè mens vestra ratione omni spoliabitur, quàm sua Deum spolietis omnipotentia. *Redite* miseri *ad cor, reuertamini Sunamitides* errantes, *reuertimini* ad vos ipsos, & *ex toto corde ad Deum* & ad veritatem *conuertamini.* Audite Deum tonantem potiùs, quàm loquentem, *Hoc est corpus meum*: quod ait, ipsum & opere præstat; facit enim dicens. Apud homines verò, qui fragiles sunt & mendaces, magnum interiacet chaos inter dicere & facere: at hæ in Deo qualitates sunt inseparabiles; effectus enim tonitru vnà pariterque cum fulmine verbi eiaculatur. Idcirco hoc in mysterio ostensurus, adoranda hæc verba, *Hoc est corpus meum*, effectiua esse, non tantùm enuntiatiua, adiungit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quando hæc eloquemini & profertis, iam reipsa factum erit. Sic enim rem omnem concludit, *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Psal. 2. · Ioan. 1. · Psal. 134. · Isaiæ 46. · Cant. 6. · Ioel. 2.

Petant igitur hi diuinæ voluntatis & potentiæ sigil-

ſugillatores ab ipſo Deo, num reuera voluerit, quæ dixit, ac num quæ dixit potuerit. Petere num voluerit, blaſphemum & execrabile eſt. an non ipſum eſt, ad imitationem Nemroth, turrim Babel ædificare, imponere Pelion Oſſæ, & *ponere in cælo os ſuum*, ac verba adeò conſpicua, & omnipotenti prolata ore, quod dum dicit, ſimul & facit, maleuolentiæ armis impetere? *Gen. 10. & 11. Pſal. 72.*

Hoc loco antagoniſtæ noſtri venatorio quodam ſeſe ſtratagemate expediunt: nam verborum violentiâ ac pondere preſſi, & ad extrema redacti, mutato fractoque curſu ſibi conſulunt, ſalientes, vt vulgò dicitur, ex agro in vineam, aut charybdin declinantes incidunt in ſcyllam. Si enim diuinâ omnipotentiâ productâ, quæ primo fidei articulo edocetur, illos obmuteſcere cogimus; ſi petimus, num ſuum Deus ſiſtere corpus realiter, ſubſtantialiter, ac reipſa præſens hoc in myſterio potuerit; à veritate coacti id minimè negare poterunt: ſed addent, id eum minimè facere voluiſſe, nec intendiſſe. Si ipſa verba ipſo lumine clariora producas, vt ſine vllis ambagibus, tropis, figuris, at puram ſimplicemque quandam voluntatem ab intellectu diuino emanantem, qui nec mentiri, nec fallere, nec dubiè amphibologicéue loqui poteſt, quique omnia poteſt, declaremus; en ſtatim, velut aſſerturi confeſſurique ipſum id voluiſſe, ad impoſſibile confugient, & tenuibus quibuſdam è natura ipſa productis ratiunculis ipſum id potuiſſe negabunt: perinde ac ſi ſuas ſibi Deus manus vinxiſſet, & potentiam ſuam infinitam intra operis ſui circumferentiam coarctaſſet. Pulſi itaque oppugnatique, numquam expugnati; victi, non deuicti, quiduis dicent credentque, præter vnum id, quod & dicendum ac credendum eſt. Veriſſimum igitur illud eſt, eos qui à fidei tramite ſemel deflexerunt, in orbem obambulare & velut in circulo, *ſpiritu* actos *vertiginis*. *Iſaiæ 19.*

Quoniam verò se omnipotentiæ telo, quod imprudéter in ipsos inualideque stringitur, acriter peti vident, ad obscuram variarum expositionum nebulam confugiunt; quæ omnes demum eò tendunt, vt nimirum Saluator dicens, *Hoc est corpus meum*, dixerit, idque consequentia Reformatiuè necessaria, *Hoc non est corpus meum*: idque illusionibus quibusdam ridiculis potiùs, quàm illationibus rationalibus euincere conantur.

Luc.1. Dic igitur mihi, sodes hæretice: Anne id Deus potuit, si modò voluit? nam *non est apud Deum impossibile omne verbum.* Quòd autem voluerit, alium testem aut iudicem non appello, quàm tuam ipsius cōscientiam. Si autem noluerit, cur ergo propalàm aperteque dixit, *Hoc est corpus meum?* Anne eum veteribus oraculis comparare audeas, quæ à patre profecta mendacij ita erant ambigua ac dubia, vt & affirmarent simul & negarent? Blasphemum profectò & sacrilegum foret, hoc ipsum de Deo veritatis vel cogitare audere. Si voluit, per Deum immortalem (teque ad hoc fatendum per animæ salutem tuæ adiuro) dic mihi, oro, quomodo id aliter potuerit, vel debuerit, ad voluntatem suam declarandam, dicere, quàm dicendo, *Hoc est corpus meum?* Cui dilemmati si respondere potueris, magnus mihi futurus es Apollo.

Sed ab vlteriùs hac veritate premenda abstineamus, ne ipsos & opprimamus, & oppressos ad desperationis potiùs præcipitium, quàm placidam blandamque veritatis agnitionem agamus. Sufficiat nobis, ò Catholici, simpliciter credere, Deum id dixisse, ac proinde voluisse; si voluerit, potuisse; si potuerit, fecisse; si fecerit, ergo id credamus oportet, *in captiuitatem* redigentes *intellectum* nostrum *in obsequium fidei.* *2.Cor.10.*

II. Si verò cæcitatem ipsorum persanare sit animus, nullum mihi futurum videtur collyrium salutarius, quàm si seriò exacteque in mali causam inquiramus.

Quid

Quid enim causæ est, dicite, quæso, cur omnes tam violenter ac potenter scripturam tam euidentem, veritatemque adeò expressam oppugnent hæretici? hoc scilicet nobis attentè ac seriò discutiendum iam est.

An non fortasse, quia conscientiæ ipsorum maximam partem exulceratæ (cùm plurimorum simul malorum castigatio vna sit hæresis) realem Dei iudicis præsentiam fugitant, adinstar maleficorum cōprehensorum, quibus nihil accidere grauius duriusque potest, quàm coram iudicibus suis comparere: quemadmodum Adami exemplo post præuaricationem latentis manifestum est. *Dixit insipiens in corde* Gen 3.
suo, Non est Deus : ideo corruptus est, & abominabilis Psal. 13.
factus est in studijs suis, declinans, inutilis factus est, inquinauit vias suas, *Deum ante oculos suos* ampliùs nō habens. Quamobrem de Susannæ illis insidiatoribus scriptum est, *Declinauerunt oculos suos, vt non vide-* Dan. 13.
rent cælum, testem scilicet iniquitatis suæ. An non etiam scelesti in supremo iudicio, vt formidabilis illius iudicis vultū ac præsentiam declinent, montibus inclamabunt, *Cadite super nos*? Peccator omnis, Luc. 23.
quantum quidem in se est, diuinitatem annihilat, vellet enim, dum peccat, vel à Deo non videri, quo pacto illius prouidentię derogat; vel ab eo non puniri, atque ita illum iustitia priuat, throno gloriæ deijcit, &, quod illi maximè intimum est atque essentiale, auferre molitur. *Qui malè agit, odit lucem.* Ioan. 3.
cæterùm *Deus* totus quantus est, *lux est, & tenebræ in* 1. Ioan. 1.
eo non sunt vllæ. Mirumne igitur, si hæresis, quæ omnium iniquitatum complementum est, cùm conatu quodam giganteo Deum cælo reuellere nequeat, è terra eum tollere contendat, dum realem illius in mysterio Eucharistico præsentiam negat?

An non, quòd, quemadmodum corpora vlcerosa scabiosaque sanorum contactum impulsumq; haud ferunt; sic cauteriatæ hæreticorum animæ veri corporis Saluatoris nostri conspectum occursumq; me-

tuant; quòd ceu lapis quidam Lydius haud difficilè ilicò indicaret, quàm ipsorum conscientiæ adulterinæ, ac vilis sint pretij. Ipsum quippe vera coticula
Isaiæ 8. est, & examen, in quo generosæ mentes, ac corda pura
& 28. & munda explorantur. Christus enim alijs lapis est ad ædificationem segregatus, alijs verò ruinæ &
Matt. 21. *offensionis petra*. Beatus ille, qui, prout oportet, petræ huic inædificat; at contrà miser ille, super quem illa ceciderit: nam penitus collidetur & peribit.
1. *Cor.* 11. Hinc magnus Apostolus alta intonat voce, *Probet autem seipsum homo*, antequam hunc panem manducet, vt eum cum iudicio matureque examinatum comedat. Hanc porrò probationem errantes subterfugiũt. Et sanè potissimam eorum partem, qui, magno suo malo, ab Ecclesia se sequestrarunt, quotidiana compertum habemus experientia, idcirco ab eius castris desciuisse, quòd sanctæ confessionis coticulam me-
Psal. 59. tuant, & ab ea, ceu *à facie arcus* in vitia sua *directi fugiant*; nec non libertatis tenebras ideo consectari, vt dum in eisdem latitant, animarum suarum nigrorem occulant.

Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.

Audite, obsecro, vt idem prorsus sentiant cum sce-
Ierem. 11. leratis illis apud Ieremiam sic loquentibus: *Venite*, inquiunt in suis consilijs, *mittamus lignum in panem* iusti huius, & *in sermonibus eum circumueniamus*, eos per periphrases & circumlocutiones interpretan-
Sap. 2. do: *est* quippe *contrarius oculis nostris; eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*. An non, ô misselli, hoc ipsum ad litteram, ac reipsa facere conamini? Fallaces enim illi tropi, illæ figuræ, illa mendacia *Significat*, imaginariæ hæ metaphoræ in verbis illis adeò perspicuis, *Hoc est corpus meum*, procusæ, quid sunt aliud, quàm frustilla lignea & festucæ in hunc panem vitæ coniectæ, vt hoc pacto eum panem mortis reddatis, & hoc interficiatis animas reformatam vestram cœnam gustantium?

tium? Numquid etiam dicitis *inutilem* eius *esse* præsentiam, cùm eam negatis? an non *eum de terra eraditis*, dum eum ab hoc Sacramento subtrahitis? denique an non totis viribus connitimini, vt per Christum vestrum reformatum, quem intrudere satagitis, diuinum hoc Iesu *nomen in terra non memoretur amplius*, nomen illud inclytum, in *quo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernarum* creaturarum; nomen ipsis quoque dæmonibus formidandum, qui erga hoc etiam vobis ipsum auersantibus sese gerunt reuerentiùs. Phil. 2.

An non, quòd, sicut simij oderunt specula, in quibus suam speculantur fœditatem; & cameli aquam limpidam, in qua corporis gibbosi deformitatem contuentur; quorum hi aquam pedibus proturbant, illi specula confringunt, ne tristes videre cogantur, quàm meritò sint alijs ludibrio: ita Nouantes hanc realis corporis Dominici in Eucharistia præsentiæ veritatem confringant & turbent; quòd id *speculum* Sap. 7. sit *sine macula*; & *puteus aquarum viuentium*: quia in Cant. 4. ea continetur reuera is, qui *speciosus forma præ filijs* Psal. 44. *hominum*; ante quem fœda ac monstrosa ipsorum deformitas comparere erubescit?

An non, quòd, quemadmodum qui ophiusæ herbæ succum hauserunt, nihil præter inania spectant phãtasmata; ita miselli hi nefandæ illius meretricis, quam Apocalypsis describit, quæque hæreseos sym- Apoc. 17. bolum est, poculo inebriati in tam manifesta veritate nonnisi vmbras & figuras videant? In quo cani eos Aesopico similes censeo, qui inani illusus imagine rem & corpus verum sibi passus est excidere; vnde factum, vt hanc & illud simul amiserit, nec famem pellere potuerit.

An non hi vobis, auditores, videntur Michol Dauidis vxorem imitari, quæ, cùm statuam aliquam illius vestibus induisset, ipsam in lecto collocauit, atq; hoc pacto immissos à Saule percussores & satellites 1. Reg. 19.

decepit, interea dum coniugem suum per fenestram dimittit? Tot sensus malè torti, tot nouæ verborum Sacramentalium peregrinæque interpretationes à sectarijs procusæ quid sunt, nisi totidem fenestræ, è quibus miseram veritatem præcipitem eijciunt, quæ
Ioan. 14. tamen nonnisi per verum oris eius, qui *via, veritas est & vita*, ingredi & egredi ostium debet? Deinde ipsa Dauidis vestimenta figuræ cuidam circumdant, id est, sub ipsis panis & vini speciebus & accidentibus nonnisi imaginarium, phantasticum, & figuratiuum quoddam pro vera carne & vero Domini sanguine præbent corpus. An non hoc intolerabili quadam
Gal. 3. impostura mundo imponere est? *O insensati, quis vos fascinauit*, quis vos veternus occupauit, dum huiusmodi chimæris & inanijs fidem adiungitis? Demum missi à Saule lictores Micholis astum ac stratagema detexerunt. Quando tandem apertam erroris, à quo
Rom. 2. excæcamini, fraudem deceptionemque agnoscetis? tunc scilicet, cùm *circumcidetis corda vestra*, cùm iu-
Act. 7. dicium vestrum particulare seponetis, cùm *spiritui*
Ephes. 4. *sancto* non ampliùs *resistetis*, quando non *ambulantes* amplius *in vanitate sensus vestri*, verborum Euangelicorum victi pondere meliora docentibus acquiescetis.

1. Reg. 3. Per oculorum imbecillitatem fiebat, vt lucernam templi collucentem videre non posset Heli, nisi cùm propè iam exstincta esset, adinstar auium illarum nocturnarum, quæ nonnisi in tenebris vident, quòd solis iubar præ visus imbecillitate ferre nequeant. An nō huius verè naturæ estis vos, ô sectarij, cùm claro fidei orbati lumine tam acutùm in rationibus humanis videtis, & in supernaturali diuinarum splendore adeò cæcutitis? Quid? non potestis igitur Sacra-
Apoc. 21. mentum hoc, quod militãtis Ecclesię lucerna & candelabrum est, cùm idem in eo sit *Agnus*, qui Trium-
Ioan. 8. phantis *est lucerna*; aliter videre, quàm cùm iam lumen eius non amplius hîc effulget, neque aliter quàm præsentiâ eius exstinctâ, qui *mundi lux est*? quales

itaque

itaque vos, qui tetro fumigantis elychni nidore delectamini, & inania *significat* consectamini? Dicitur teter candelæ exstinctæ vapor abortum prouocare. quando vos tandem in cerebri vestri vtero monstrosam illam sententiam, ac *superseminantis zizania*, patris inquam mendacij, semen abortiri facietis? *Matt.* 13.

Quid? non potestis igitur radiantem veri nostri Mosis faciem in hoc Sacramentorum sole intueri, nisi figuratiuo quodam velamine contegatur? Imitemini saltem Israelitas, atque ipsum tametsi non videatis, illius saltem verbo credite. est siquidem dignior, cui credatur, maiorisque auctoritatis, quàm legislator ille Hebræus. Deus est, qui quidquid vult, potest; & quidquid dicit, vult: *Exod.* 34.

Et potis est, & vult, & dicit; credere oportet.

Quamobrem omnes, quascumque vobis natura poterit suggere ad omnipotentem hanc veritatem oppugnandam ratiunculæ, vt nix, ros, & cera ad solis huius conspectum radiosque liquefactæ diffluunt.

Sed mirum non est, charissimi, tam parum ab illis sponsum agnosci; tamque indignis tractari modis, cùm & ipsius sponsam tam indignè habeant, illam vt matrem habere detrectantes; qui proinde nec Saluatorem habituri sunt vt patrem. Dauid Bersabeæ amplexibus liberè potiturus, Vriæ coniugi eius necem moliebatur; hi verò vt sponsam vniuersi possessione deijciant, quam sponsus illi ex hoc mundo abiens in donationem consignauit (Ecclesia quippe Catholica dicta est *vniuersalis*,) ipsam cara illa dilecti sui præsentia priuare conituntur, qui tamen ad *vsque sæculi consummationem cum* eadem se perpetuò *fore* spopondit. Impuri illi senes, qui innocentis castæque Susannæ pudicitiæ insidias struebant, quò ipsam ad fœdæ suæ cupiditati consentiendum inuitarent, inter alias ad permouendum efficaces rationes hasce produxêre; neminem scilicet rei huius consciũ futurum, maritum procul inde abesse, denique abominabile probrum suum perpetui cuiusdam silentij velo

2. Reg. 11.

Matt. 28.

Dan. 13.

velò obuelandum. Ita errantes vt immaculatam & integram Dei Ecclesiam, quam proprio *suo sanguine* Christus *lauit, vt exhiberet ipse eam sibi* pulchram, *non habentem maculam aut rugam, & gloriosam* redderet, corrumpant ac vitient; an non mariti illi sui absentiam in mentem reuocant, ita quidem procul distare asserentes, quantum cæli à terra est interuallum? Illorumque oratio haud absimilis isti mulieris illius pellacis, quam in Prouerbijs Salomon depingit: *Veni*, inquit illa vecordi illi ac malè cauto adolescenti, qui ad oculorum illius flammam desideriorum suorum alas impotenter amburebat; *non est vir in domo sua, abijt via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit*, nonnisi *in die plenæ Lunæ reuersurus est in domum suam*. Quid porrò aliud hæretici iactant, quàm Christum in cælos abijsse, ibique *ad dexteram Patris* considere, imò verò ita confixum apud eum esse, sese vt inde dimouere antè nequeat; quàm dum in temporum plenitudine venturus est iudicare viuos & mortuos: denique adeò procul distare, numquam vt rediturus sit? Miseri! perinde ac si *Dominus* ille, qui *sedet à Domini dextris, emittere* non posset *virgam virtutis suæ è* summo *Sion*, ad *dominandum in medio inimicorum* suorum; perinde ac si non esset *splendor sanctorum*, ac *sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*; quasi si Catholici docerent ac traderent, eum, quòd in altaribus præsens adsit, idcirco ad dextram Patris considere desinere. Vnde etiam ipsi credimus, tam in cælis præsentem illum esse, quàm in Sanctissimo Sacramento; cùm nō minùs potentiæ diuinæ sit facile, vnum idemque corpus in varijs, quàm duo in eodem loco constituere, quod in claustri virginei, sepulcri, & ianuæ clausæ penetratione factum constat.

Ephes. 5.

Prou. 7.

Psal. 109.

Verùm vt huic causarum, ob quas realem hanc præsentiam tam acriter oppugnant, inquisitioni finem imponam, crederem equidem eos in diebus nostris, ceu prodromos illius, qui circa suprema sæculorum

lorum tempora totis viribus *iuge* hoc *sacrificium* ab- *Dan.* 11.
rogare contendet & abolere, iusta Dei permissione *&* 12.
ad fidelium examen, probationem, ac manifestatio- 1. *Cor.* 11.
nem tolerari. Et sanè quotidiano vsu videmus, quẽ-
admodum obtusa cos ferrum exacuit, & fabrilis a-
qua ignem intendit; ita illorum obiectionibus & ca-
lumniatorijs oblocutionibus ipsam veritatem & il-
lustriorem lõgè reddi, & magis corroborari; ipsam-
que ceu patulam vastamq; quamdam arborem altio-
res eò in credentium cordibus agere radices, quò cõ-
tradictionum aduersariarũ flabris magis impetitur.

III. Contradictionum inquam, quas ceu spinas præ-
tereo, vt considerationum aliquot iucundiorum in
vos rosas spargam: quibus ad panis huius viui & su-
persubstantialis cum debita reuerentia ac cautela
manducationem incitabimini. Neque enim, vt vide-
tis, sine causa vrgentissima, carissimi, Apostolus nos 1. *Cor.* 11.
commonefacit, vt nos ipsos seriò, maturè, anxieque
probemus, *scrutantes Ierusalem*, id est, interiora no- *Sophon.* 1.
stra, *in lucernis*, quò, quidquid Dei huius zelotis, om- *Exod.* 20.
nemque iniquitatem detestantis oculos offendere
posset, inde amoueamus. Nam qui *sicut equus & mu-* *Psal.* 31.
lus, quibus non est intellectus, incautè indiscreteque
cibum hunc sacrum manducat, adeò non boni & ma-
li scientiam inde sibi haurit, ac vitæ hic inuenit fru-
ctum, suæ vt condemnationis sententiam hinc po-
tiùs accipiat, & pro mellita dulcedine, quasi alter
Ionathas, stimulum mortis inueniat, *iudicium sibi* 2. *Reg.* 14.
manducans ac bibens, ait Apostolus, eò quòd à com-
munibus cibarijs *non dijudicet corpus Domini*. 1. *Cor.* 11.

Nostis, quomodo olim Sanctâ Zelotypiæ aquâ,
quæ matronam castam innocentemque commenda- *Num.* 5.
bat, noxiæ femur computresceret, imò vterus ipse
disrumperetur. idem esto de hac *aqua refectionis* iu- *Psal.* 22.
dicium: nostram illa desiderat *conuersionem*, vtque
in *semitis iustitiæ* ambulemus; alioquin in *insipientiæ* *Psal.* 37.
nostræ *facie* nos sinit *computrescere*.

Manifestum, eheu! horribile tamen exemplum dabit Apostolus ille apostata & proditor: quòd enim ad diuini huius mysterij sumptionem animam perfidia exulceratam, & proditionis cauterio notatam attulisset; ecce, vt referunt Euangelistæ, vnà cum pretioso hoc amoris pignore *intrauit in eum diabolus*, à quo tandem ad tragicam hanc & desperatam catastrophen, suiipsius inquam suspendium, quo *crepuit medius*, quòd hanc zelotypiæ aquam ferre non posset, eò quòd verè cum auaritia & perfidia anima eius *fornicata erat*, adactus est.

Ioan. 13. *Act.* 1.

Fierine potest, summe Deus, *Angelum tenebrarum* in *Angeli magni consilij*, & omnis splendoris locum sese ingerere? numquid scriptum est, *quæ societas luci ad tenebras, quæ* autem *conuentio Christi ad Belial?* quî factum igitur, vt Satan in maledictam illam eodem tempore ingrederetur animam, quo ipsam subibat is, qui ex ijs, quæ occupat, corporibus dæmones vi expellit? Cæterùm vt idem Deus, qui vbique est per essentiam, præsentiam & potentiam, & non minùs apud inferos est, quàm in cælo; sed in inferno terribilis & castigans, in cælo verò blandus & beans: ita Diuinum Saluatoris corpus peruersæ sceleratæque animæ infernum adfert (*dura* quippe *sicut infernus* illius est *æmulatio*,) cælum verò in animam inuehit optimè dispositam. Scriptum siquidem est, *regnum cælorum intra nos* esse.

2. Cor. 6. *Cant.* 8. *Luc.* 17.

Quapropter mirari posthac desinite, si ex vna & eadem Scriptura sancta, è qua fidelis per Ecclesiæ organum salutaria educit documenta, hæreticus infernalis spiritus suggestionibus erroneos falsosque depromat intellectus; cùm & ipsa caro *Verbi*, & Verbum aut dictum eius, qui *caro factus* est, diuersos, pro dispositionũ discrimine producant effectus, *recepto*, iuxta axioma Philosophorum, *recipientis induente formam*. Idem Nilus, qui Aegyptum cœno suo viscoso & vliginoso fœcundat, ex eodem etiam crocodilos generat, qui incolis mortem inferant. Hic

Ioan. 1.

frumenti

frumenti adeps, qui puras animas *impinguat*, in im- *Pſal.*147.
puris innumeras remorſuum gignit aſpides, à qui-
bus dirè corroduntur ac depaſcuntur.

Sacramentum hoc mare quoddam eſt : eſt quippe
omnium diuinarum gratiarum aquarum receptacu-
lum: mare inquam ſanguine Chriſti, qui in eo in-
ceſſanter & perpetuo curſu fluit, rubricans; mare, in
quo Aegyptius, id eſt, peccator, cum equis & curri- *Exod.* 14.
bus, id eſt, cum omni vanitatum ſuarum apparatu &
inſtrumento mergitur; *verus Iſraelita* verò, qui libe-
rè, humiliter, ſine *dolo* ac fuco, & ſincerè accedit, ſa- *Ioan.* 1.
lutem conſequitur.

Regium eſt magni Aſſueri epulum, in quo arro- *Eſth.* 2.
gantes Vaſthides repudiantur; humiles verò Eſthe-
res ad ſolium euehuntur; in quo iuſti & innocentes
Mardochæi exaltantur, perfidi ſceleratique Ama- *Eſth.* 7. *&* 8.
nes ſibi perniciei ac perditionis laqueum texunt.

Myſtica item ſcala eſt, per quam digni in cælum *Gen.* 28.
aſcendunt (*qui enim manducat hunc panem, viuet in* *Ioan.* 6.
æternum:) indigni verò ad inferos deſcendunt. De
Iſraelitis peccantibus ſcriptum eſt, *Adhuc eſcæ eorum* *Pſal.* 77.
erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & *Pſal.* 54.
deſcenderunt in infernum viuentes.

Benigna ſanè, & miſericordiam magnam ſpirans
fuit punitio illa, qua in protoplaſtos noſtros, poſt-
quam præuaricati eſſent, Dei manus animaduertit,
dum Angelo ſuo mandauit, vt illos paradiſo eijce-
ret, *ne*, inquit ſacer contextus, *fortè mittat manum* *Gen.* 3.
ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & viuat in æternũ.
Diuina ſiquidem prouidentia ingentes cùm præſci-
ret calamitates, in quas feralis hic morſus cùm Ada-
mum, tum miſeram omnem poſteritatem eius con-
iecturus eſſet; non parum naturæ noſtræ putabat fo-
re vt gratificaretur, ſi vitæ incertitudine & breuita-
te eas imminueret. An non Tithonus, ſi modò Poëta- *Ouid.* 9.
rum figmentis fidem adhibeamus, attritus iam ſenio *Metam.*
& exhauſtus, qua antè contentione immortalitatem
à Dijs petierat, eadem mortem poſtea ac vitæ finem

postulauit? Multò autem seueriùs diuina iustitia animaduertet in eos, qui temerè indigneque ad hunc vitæ fructum, sanctissimum inquam Eucharistiæ Sacramentum, in terrestri militantis Ecclesiæ paradiso manum extenderint: mala siquidem ac funesta immortalitate punientur, perpetuò in vita infernali morituri, & in morte æterna inconsumptibiliter victuri, vtpote in inferno ad mortem semper renascentem adiudicati.

Non sit, obsecro, dilectissimi, ea nostra imprudentia ac vesania, vt vitam mortis nesciam in mortẽ, quę aliam vitam non habeat, quàm mortem assiduò continenterq; vegetam ac recentem, commutemus. Eáne nostra futura dementia est, vt nequitiâ id nostrâ damnationis facturi simus instrumentum, quod clauis nobis loco esse debet, quo ad cælestia tabernacula in-

Psal 94. troducamur? Nequaquam, sed *præoccupemus* & anticipemus *faciem* animarum nostrarum sponsi *in* bonis *confessionibus*. Hæc nempe præparatio est, quam Ecclesia mater à nobis ante mysterij huius ineffabilis sumptionem præmitti iubet.

Diuinus hic panis, vt ille Eliæ, sub cineribus pœ-

3.*Reg*.19. nitentię coqui ac digeri vult, sicuti etiam sub specierum cinere delitescit.

Excalceatis igitur pedibus, animaq; ab omni erga peccatum affectu libera ad sancti altaris montem

Exod.3. Mosis exemplo accedamus, vt ibidem cum Deo nostro in rubo, qui incomparabili eius dilectione ardeat, conuersemur & colloquamur; ac simul memi-

Deut. 9. nerimus, eum *Deum ignem* esse, ad quem, sicut ad elementum ignis, cautè sit admodum & circumspectè accedendum.

Si vrna mannæ asseruatrix tota erat aurea (quod

Heb.9. metalli genus omnium est purissimum) quę nobis ad-

2.*Tim*.2. hibenda diligentia, vt corda nostra *vasa* fiant *sanctificationis*, in purissimum charitatis aurum commuta-

Ierem. 10 ta, *aurum Ophir*, & *optimum*, cui dilecti *caput* in libro

Cant.5. Canticorum assimilatur. Ad sanctam autẽ hanc præ-

para-

parationem animæ quidem ſanctæ amiciſſimis bonitatis, miſericordiæ ac liberalitatis, quam tam benignus exhibet dilectus, ſtimulis; præfractę verò & duræ, ſeueræ eiuſdem iuſtitiæ terrore ac timore exſtimulantur.

Hîc filum abrumpo, amici, vobis in mentem reuocans, 1. quàm ſit perſpicua & inuincibilis ipſa Corporis Dominici in Ven. Euchariſtia præſentiæ veritas, 2. quàm illi iniqui & peruerſi, qui eamdem omnimodis inobſcurare connituntur, 3. ſacram hanc præſentiam ſeriam quamdam à nobis ad adeò tremendum myſterium recipiendum præparationem exigere. Ite in pace.

SABBATHO INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

Euchariſtiam Sacramentum eſſe amoris.

HOMILIA III.

In me manet, & ego in eo. Ioan. 6.

SACRA quædam amoris metempſychoſis eſt, quam hæc nobis verba repræſentant: an non enim magnus perfecti amoris effectus eſt, cùm amans viuit in amato, & in amante amatus? Sed quamobrem factum dicam, Deus bone ac Domine mi, vt de Cherubinis tuis vnum cum verſa li ac flammiuoma rhomphæa ante paradiſi terre[illegible] ingreſſum, poſt probroſam ac iuſtam primorum parentum noſtrorum inde expulſionem collocaris? *Gen. 3.* Anne, vt per ignem hunc indignationis tuæ iracundiam, velut *torrentem* quemdam flammarum *à facie tua egredientem* oſtenderes? an hoc pacto declarare voluiſti, ipſis, niſi pœnitentiam *Pſal. 17.*

commiſſi ſceleris agerent, ſempiternum cum angelis rebellibus ignem paratum eſſe? An ſignificare, *ignem,* Pſal. 148. *grandinem, niuem, & glaciem partem calicis* rebellionis ipſorum eſſe? An denique hoc ipſos argumento Pſal. 59. commonefacere, vt *fugerent à facie arcus iræ* tuæ? Omnes quidem cauſæ hæ probabiles videntur, ſed ea longè mihi apparet probatior, docere hoc ipſos ſigno voluiſſe, non antè in æternum illos Eden penetraturos, quàm per amoris ignem expurgarentur: ſimul etiam vt poſteros ipſorum doceret, neminem eorum de vero vitæ fructu, de corpore ac ſanguine inquam Dominico in paradiſo cælico-terreſtri, id eſt Eccleſia, propoſito guſtare poſſe, qui diuini non ſit amoris gladio transfixus, ſed gladio igniuomo, multum ab alijs gladijs diſcrepanti; cùm enim reliqui diſſecent, elementum hoc coniungit: gladio, qui Hebr. 4. *pertingit ad vſque medullas & compages*: gladio ad intima vſque cordium penetralia penetranti, vt nos, Rom. 11. tametſi ſilueſtres *oleaſtros in bonam* ac liberam *oliuã inſerat. Veni, ô ſancte Spiritus, fons viuus, ignis, charitas* æterna & increata, quique vinculo quodam incomparabili Patrem & Filium inuicem connectis; Pſal. 17. veni, ô ſubluſtris *filiorum lucis* lampas; & *illumina tenebras noſtras,* & *ignem amoris tui in mentibus noſtris* Cant. 4. ardenti ſacramenti huius venerabilis carbone *accende.* Idipſum te per ſponſæ tuæ, cuius *emiſsiones* ſunt Eccl. 24. ſicut *paradiſus,* ac *matris pulchræ dilectionis* ſuffragia obſecramus. *Aue Maria.*

Sanctiſſimam Euchariſtiam perfectiſſimi amoris eſſe ſacramentum, fratres in Domino dilectiſſimi, adeò quidem liquidum & manifeſtum eſt, nullis vt argumentis probari, nullis ipſum demonſtrationibus confirmari neceſſe ſit. Quare hoc vnum mihi in hac homilia propoſitum erit, optabilem hunc ignem in cordibus veſtris accendere conari, 1. minutim tẽporis explorando circumſtantias, quo hoc amoris myſterium inſtitutum eſt, 2. Angelici huius panis recenſendo delicias, 3. ex eiuſdem materia, pane nimirum

rum ac vino, illuſtre nos amoris oſtendam colligere argumentum poſſe. Materię adeò iucundæ & amicabili benignas beneuolaſque aures adferte.

Notiſſimum eſt, in ſupremis reciprociſque amicorum valedictionibus arctiſſimos mutuò amiciſſimoſque fieri complexus ſolere. Videte non ſine pio compaſſionis ſenſu & affectu violentam amicorum illorum integerrimorum arctiſſimeque inuicem amantium, Dauidis & Ionathæ diuulſionem; Ionathæ inquam, qui *Dauidem ſua* cariorem *anima* habebat, & Dauidis, qui *Ionatham ſuper amorem mulierum* diligebat. amor hic vehemens erat & intenſus. Ah, dicebat hic, in vita ne diſiungi nos oportet, quos ne ipſa quidem mors ab inuicem ſequeſtret? Tu, ô crudele Saulis odium & indignatio, immitis illa es lancea, quæ illorum ſeparas ab inuicem corpora, quorum animæ cœmento connexæ ſunt, quod ne ipſa quidem mors aut Parca diſſoluat. Sed Ionatham neceſſe eſt obedientiæ lege ad patrem redire, Dauidem verò, rege indignante & perſequente, regia exulare & excedere. Quid igitur agant intimi hi? In mutuos ruunt amplexus, quin imò priſtinos amoris redintegrant æſtus, & fidelium amoris teſtimoniorum renouant vincula. Rem miram. Ionathas riualem, pro regno inhiantium natura, non modò ſolio deturbare & regno Iſraelis priuare non laborat, ſed ipſum etiam omnibus neruis euehere huc contendit; quin etiam *ſua ſe expoliat tunica*, quam *dedit Dauid, & reliqua veſtimenta ſua*, arma quoque, *& gladium, arcum*, ſagittas, & pharetram. Quid? etiam animam, amore inuitante, conſignat. Maiorane amoris vultis argumenta? nihil tamen hæc erunt, & mirari deſinetis, chariſſimi, ſi incomparabilem Ieſu Chriſti amorem intueamini. Cui cùm ſatis non fuiſſet, *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, regnum non dico Iſrael, ſed cælorum deſeruiſſe, vt ipſum nobis compararet, noſque illius morte ſua & ſanguine hæredes conſtitueret; cùm iam iam à cariſſimorum diſcipulo-

Margin notes: I. — 1. Reg. 18. — 2. Reg. 1.

rum ſuorum contubernio auellendus eſſet, vt ſe in *beſtiam voluntariã* iuſtitiæ Patris ſui æterni in monte Caluariæ immolaret, *cùm* quamdiu vixerat, *ſuos* quã amiciſſimè *dilexiſſet*, *in finem* ſanè maximo quodam amore *dilexit eos*. Antequam enim ſuprema in cœna ijs valediceret, ipſos amplexatur, exhortatur, documẽta proponit, pedes ijs abluit; & poſt omnia demũ inæſtimabile hoc corporis & ſanguinis ſui donariũ, ſeipſum inquam totum, non ſuum dumtaxat enſem, non clypeum, non arcum, nõ tela ipſis elargitur: niſi fortè (vti dierum horum aliquo vobis declaraturi ſumus) per arma ipſius potentem illam fortitudinẽ, quæ in ſuaui blandoq; hoc myſterio incluſa eſt, deſignari dicere velimus. Quæ porrò potentia cũ robore amoris cõparari poteſt, cùm ipſummet is expugnet & debellet Deum? Verè, chariſſimi, non veſtes modò & tunicã Ionathæ noſtri hîc habemus, ſed propriam etiam carnem; habemus adhæc gladium, quem hic
Pſal. 44. *Dominantium Dominus in femore ſuo* geſtat, ſacram
2. Reg. 1. nempe eiuſdẽ humanitatem; nec non *clypeum fortiũ*,
Epheſ. 6. *ſcutum veritatis*; quin etiam corporis illius arcum in
Pſal. 7. cruce intenſum; & ſuper hæc omnia ipſam *Dei ſancti amoris* pharetram *ſagittis ardentibus* & iaculis acutiſſimis refertam, ad corda etiam glacie frigidiora, & ſaxo obduratiora tũ incendenda, tum traijcienda.

Veriſſimum igitur, dulciſſime Ieſu, affluentibus
Cant. 8. ingratitudinum *aquis* immenſam *charitatem* tuam *exſtingui non poſſe*, quæ eo ipſo, quo exſtinguenda aut refrigeranda videretur, ceu ignis quidam græcus, & magis increſcit, & æſtuat ardentiùs. Dum de te prodendo perfidus Iudas agitat, tum ipſe ſanctum hoc illi pignus elargiri in animo proponis; nec tam tetra te retinere proditio poteſt, quò minùs ad ipſum ingrediaris, vt ſaxeum ingreſſu tuo cor eius emollias. Ea ipſa hora, qua truces Iudæi diriſſimam iuxtà ac probroſiſſimam omnium tibi necem machinantur, tu vitæ eis panem præparas: illi ad te felle potãdum ſe accingunt, tu corporis ac ſanguinis tui mel & manna

manna præparas: illi te *solare* volunt *absynthio*, tu illos *lacte*, quod *sub lingua* habes, & in sanctis vberibus tuis, pascere cupis. Multò verò, Domine mi, satius est ac salubrius charitatem hanc adorare, quàm eamdẽ verbis exponere audere. Sic nimirum, ô innocens Agne, lanâ tuâ vestis eos, qui te excoriãt; & eos, qui te iugulant, carne saginas. Benedicta sit in æternum hæc bonitas tua. At quantum suis hæc reseruarit amicis oportet, si in inimicos adeò se suos prodigam demonstrarit? Iere. 25. Cant. 4.

Desiderio desideraui (quo loquendi modo vehemẽtiam amoris sui expressit) *hoc pascha manducare vobiscum*, dixit discipulis suis. An non amantem hunc tanto animabus nostris sui copulandi desiderio ferri censeretis, quanto Rachelem suam Iacob desiderabat? qua vt hic potiretur, quid præstitit? imò quid non præstitit? Vt enim primùm eam ad putei orificium & canalem conspexit, *eleuata voce fleuit*, vehementi mentis dulcedine, quam introrsum sentiebat, delibutus. Te autem, ô vere Iacob noster, elata clamantem voce audio, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Venite, & emite absque argento lac & mel. gratis venumdati estis, & sine argento redimemini. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam* & restaurabo *vos*. Quin eo ad sponso nos nostro coniungendas desiderio anhelamus, benedictæ animæ, quo illum, vt *ad nos veniat, & mansionem apud nos faciat, capite pleno rore* gratiarum, & dulcedinum illius *guttis* diffluente ferri videmus? Semperne surda ad clamores eius aure tergiuersabimur, vt pigra & deses illa puella, quæ deinde eum ab amore concitata sedulò conquirit, ac nonnisi post multos labores eum reperire meruit? Cogitate obsecro, quot animæ, eheu! in purgatorio dirissima torqueantur fame ac siti (quæ enim in inferno sunt, de illarum salute spes nulla superest,) quæ vel ijs, quæ nobis superfluunt, micis satiari, suumque ardorem vel vnica sanguinis gutta, Luc. 22. Gen. 29. Ioan 7. Isaiæ 55. Isaiæ 52. Matt. 11. Cant. 5. Cant. 3.

 sangui-

sanguinis inquam, quem nobis in Abrahæ sinu, in Ecclesia inquam sancta, frequentiori mysteriorum sacrorum communicatione, longo anhelitu copiosóque haustu datum est exsugere, temperare maximoperè optarent.

Iob 31. *Quis* nobis *det*, aiebant amici Iob, *vt de eius saturemur carnibus*? Videtisne vt Iobus noster, olim plagis vlceribusque coopertus, & vndiquaque diffluente sanguine perfusus, in Caluariæ macello ac monte propositus, iam se modo quodam suauiori (quòd incruentus) in sancti altaris crepidine offerat ac venalem proponat? Quid impediat, quò minùs *repleamur in bonis domus* eius, & *ab vbertate* eiusdem *& torrente voluptatum* eius *inebriemur*? quid obstat, quò minùs *abundare horrea* nostra faciamus? *venient*, eheu! *anni famis*; veniet cicadæ mundanæ, hiems, & tempus, *quando* amplius non licebit *operari*. Ne igitur, per Deum immortalem obsecro, animas fame sinamus contabescere, cùm vitæ panem propè in manibus habeamus.

Psal. 64. Psal. 35. Prou. 3. Gen. 41. Ioan. 9.

Vadit itaque Redemptor, & quò vadit? ad mortem, & à morte ad Patrem, eo scilicet tempore, quo suum nobis in Sacramento hoc suauissimo cor relinquit. quid dico cor? imò cordis sui cor, scilicet tenerrimos cordis sui affectus. Audite Ecclesiam,

In mortem à discipulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.

Luc. 1. Sol quò occasui vicinior est, radios euibrat mitiores ac blandiores; & *sol* noster *oriens*, iam iam se occultaturus, suauissima amicissimaque beneuolentiæ suæ exerit pignora.

Cùm finis vitæ instat, tunc hominum esse solent mandata & commendationes ardentiores, tunc cor eorum patentius ac dilatatius, tunc verba ad mo-

uendum potentiora; tum enim, vt docet Lucretius, ſinceriſſimi quique ſenſus è cordis penetralibus ſine vlla fictione prorumpunt.

Quî verò fieri poſſet, Nouantes, vt, qui *via, veritas, ac vita eſt*, dicendo: *Hoc eſt corpus meum*, illo temporis momento in ambiguos & tropicos ſenſus, inque metaphoras à veritate alienas intenderit, mortuum nobis ac ſymbolicum dumtaxat panem tum dando, cùm panem viuum, panem vitæ, panem ſuperſubſtantialem promittit? *Ioan. 14.*

Ne, obſecro, patris noſtri hæreditatem, Catholici, ſub beneficio catalogi inuentarij adeamus, perinde ac ſi ſuam ipſe imprudenter rem adminiſtraſſet: cùm tamen ipſe frugi ille ſit vinitor, bonus agricola, prudens ille paterfamilias, cuius meminit Euangelium; ſed purè ac ſincerè illius hæreditatem cernamus; teſtamentum illius planè ad litteram, vt ſonat, admittamus, non interpretatiuè: immenſam eius charitatem agnoſcamus, vt qui omnes nos, non canalium, non imaginum, non ſimulacrorum, non vmbrarum, non figurarum ſuarum; ſed proprij corporis ſui, ſed ſuijpſiuſmet totius, ſolidè atque in ſolidum, realiter, ſubſtantialiter, non imaginariè ac phantaſticè hæredes conſtituit. Ne ſimus ergo tantæ eius liberalitati ingrati, nonniſi in imagine & depictum recipientes, quod re ipſa & effectu nobis elargitur. *Manna* pertranſijt, quod boni futuri, quo ipſi potimur, ſolùm vmbra erat; hoc *patres* noſtri *manducauerunt in deſerto, ac mortui ſunt*, ait ipſe Saluator; at *panis* viuus, *quem dat ipſe nobis*, ab æterna nos morte vindicabit. *Matt. 20* *Matt. 13.* *Matt. 25.* *Ioan. 6.*

Teſtamentum inquam admirabile, quo factum, vt Pater noſter omnipotens, hoc è mundo diſcedens, nobiſcum adhuc maneat; *modicum* à nobis abeat, & *poſt modicum iterum* ad nos reuertatur; viſibilem ſuã abſcondat præſentiam, & inuiſibilem nobis communicet, nos velut amans quidam ſponſus *per* ſpecierum ſacramentalium *cancellos proſpiciens*, per ſubſtitutio- *Cant. 2.*

 nem

nem quamdam incomprehensibilem, non tamen successiuè, sed in eodem tempore. Omnibus nobis, quot-
1.Cor. 11. quot sumus, corporis sui hæreditatem, & *calicis sui participationem* integrè, ac sine diuisione ac partitione vlla consignat; *sic totum singulis, quod totum omnibus*; adinstar solis nimirum, omnibus se totum, & totum vni; & ita vni totum sicut omnibus, ita totum vni vt vniuersis communicantis. Mirabile sanè
Psal. 71. id est eius, qui *facit mirabilia magna solus*, & cuius
1.Par. 16. *adinuentiones* incomparabiles semper deprædicare nos & *notas facere* oportet.

An non, ô Pastor bone, satis erat, promisisse te, quicunque *per* te, qui verum cæli es *ostium, ingrederetur*, hunc *saluandum*, & in salute illa *pascua* vberrima
Ioan. 10. *inuenturum*. An, inquam, satis non erat, te, *nos regēdo*, & de omnibus necessarijs rebus nobis prospiciendo,
Psal. 22. *in locis pascuæ* fertilissimis *nos collocasse aqua refectionis* vnde vndique irrigatis; nisi etiam in deserto *men-*
Psal 77. *sam* nobis, non *mannæ*, non simplicis *panis*; sed *carnis*:
Ioan 6. neque carnis emortuæ, quæ *non prodesset quidquam*
Cant. 1. ad vitam animæ, sed *viuæ & viuificantis, parares*; nisi etiam *in oleo* sanguinis tui *effusi capita* nostra *impin-*
Psal. 22. *guares*, nosque *præclarissimo* illo *calice* meracissimis puri amoris tui guttis pleno *inebriares*? Et sanè vigilantium ac bonorum Pastorum, deque suo grege laborantium est, eum ad blandum fistulæ carmen in floridissima prata, in vernantissima pascua, in pinguissimos agros conducere, à lupis quoque illum arcere, illius morbidi curam habere, ac sedulò de eodem laborare. Sed animarum nostrarum pastor satis
Psal. 62. non esse ratus gratiarum suarum *adipe* illas *replere*, sua pascere doctrina, prudentia dirigere, à periculis tueri, in morbis medicamentis fouere, & super incolumitatem ipsarum vigilare, plura etiam præstat: siquidem (quod hactenus inauditum) propria eas alit carne, ac purissimi sanguinis sui fluentis potat. quis simile vmquam amoris audiuit prodigium?

Celebrent ac miris efferant laudibus prisca historiarum

riarum monumenta antipelargiam ac reciprocã illã dilectionem filiæ illius Romanæ erga patrem, quẽ in carcere præ inedia coactũ emori suis ipsa vberibus ad tẽpus aliquod enutriuit. Commiserationem quidẽ hæcce res excitat, nõ tantã tamen admirationẽ promeretur, quantã fortasse eximiũ hoc, nec par habẽs, extremi amoris Domini nostri Iesu Christi exemplũ. Quid enim, cedo, amans illa filia patri dabat, & quid aliud nutrix dilecto suo pusioni subministrat, quàm quamdã excremẽti speciem, & substantię suæ superfluitatẽ? adeò vt vix dici queat, vtrũ proli mater plus afferat voluptatis, ipsam suaui hoc liquore pascendo; an vero suę proles matri, ipsam superfluo grauiq; hoc onere inter exsugendum exonerans? At Saluator nõ sua modò ad *vbera* (pro quo verbo alia lectio habet *amores*, quod proposito nostro mirè quadrat) *meliora vino, fragrantia vnguentis optimis*, nos potaturus applicat; verùm etiã ipsemet se velut *oleum* & balsamum *effusum* (alia versio pręfert, *sanguis effusus*, quod ad rem, quã tractamus, egregiè facit) in animæ nostræ plagas, ad easdem persanandas & consolidandas, instillat. Darine amor, carissima anima mea, quispiam cõpotest, qui cum hoc dulcissimi nostri Iesu amore cõparandus sit? Cogita, mi frater, ait de priscis Patribus nonnemo, tuum te, quotiescumque sacræ synaxeos communione donaris, patenti vulneri lateris Saluatoris Iesu os quodammodo applicare, quod *guttas myrrhæ à vestimentis*, & *à domo eburnea* humanitatis eius distillat; qui liquor *filias regis* gloriæ, animas inquam sanctas, non parum *delectat*; quibus nimirum magno honori & consolationi est, è *scypho Iosephi* huius, & è mystico illo *cratere tornatili*, & *sapphiris distincto* longis haustibus bibere. Cant. 1. Psal. 44. Gen. 44. Cant. 5.

Quò me vertam? petit D. Augustinus, iam medius inter natiuitatis ac mortis Saluatoris mysteria constitutus, & quò se converteret, nesciens. vtri me adplicabo? Hinc siquidem virginea cõtẽplor vbera, lac

mihi

mihi offerentia; illinc verò latus patulum, ſangui-
nem mihi propinans. Lac hoc tenellarum cibus eſt animarum, at valentiorum ſanguis: lac hoc me conſopit ac pellicit, at ſanguis inebriat & extra mentem rapit. Tu, ô lac ſanguis es candidus, tu verò ô ſanguis lac rubricans. Quis noſtrum talem inde mi-
Cant. 5. ſtionem componat, qualis illud ſancti ſponſi poculum eſt, qui nos ad vinum ac lac ſuum in vnum commiſta bibendum inuitat, vtque diuinitatis ſuæ mel cum humanitatis cera hauriamus. An non præ amore liqueſcis, anima mea, hos dum ſacros amoris exceſſus audis & percipis?

Luc. 24. Ecquod non cor, Deus bone, in *panis* huius viui *fractione arderet?* An non, ô palantes diſcipuli, qui in Emmaus conceditis, oues poſt necem paſtoris veſtri errantes ac diſperſæ, ingenuè profitemini, *cor* veſtrũ inflammatum fuiſſe & *ardens*, cùm de amico hoc
Pſal. 110. blandoque myſterio, *memoria mirabilium ſuorum*, ac paſſione ſua ipſe vobiſcum iter carpens in via vel loqueretur? Quid verò tum? quæ vos corripuit admiratio ac ſtupor, quando tandem in vitalis huius cibi diſtributione ac *fractione oculi* veſtri ad eum cognoſcendum *aperti ſunt*? Quid autem hîc ſibi vult Saluatorem ſubitò ex oculis ipſorum euaneſcere? vt hinc videlicet diſcamus; ſufficere nobis, ſi vel fidei oculis, non corporeis, eum hoc in Sacramento intueamur, *fide præſtante ſupplementum ſenſuum defectui*, fide inquam, quæ fidelitatis noſtræ ſit teſtimonium; fidelitatis, quæ amoris noſtri ſit probatio & examen.

Cur autem, bone Ieſu, adeò te familiariter duobus hiſce diſcipulis euagantibus, & in apoſtaſiæ abyſſum iam iam prolapſuris communicas? ſcilicet vrgentiſſimum maximeque oportunum neceſſitatum noſtrarum exſpectare & explorare tempus videris, quo miſerationum nos tuarum participes reddas.

Indignitas ſiquidem noſtra velut aqua fabrilis eſt,
quæ

quæ flammam resperſa adauget. Incredulus ecce Thomas reſurrexiſſe te minimè ſe crediturum clamat, niſi ſuis te oculis conſpiciat, ſuis tangat manibus : & ecce, mox audit benigna ac benedicta illa verba, *Infer digitum tuum huc Thoma*, meaſque plagas oculis lege, *& noli eſſe* poſthac *incredulus, ſed fidelis*. Igitur intimas maximaſque delicias tuas Domine reſeruas ijs, qui te derelinquunt : Vtiliuſne ergo foret & ſatius in bonitatem tuam præuaricando offendere? Magdalenam peccatis immerſam cùm miſericordiâ tuâ præueniſti, magis meliuſque edocebis, quàm ſororem eius Martham honeſtam, modeſtam ac probam ? Maria verbi tui inebriabitur delicijs ac vino interea, dum alia circa inferiora domus miniſteria occupabitur ? *Saulus ſpirans cædis ac minarum in diſcipulos* tuos, Domine, in medio furoris ac moliminum ſuorum, à miſericordia tua in terram proſtratus, tuiſque adobrutus benedictionibus, in *vas* commutabitur honoris & *electionis, vt portet nomen tuum coram gentibus* idola colentibus. Eo quo Iudas proditionem illam, qua nulla fuit vmquam deteſtabilior, dum blando te hoſtibus traderet oſculo, tempore molitur, *amici* eum nomine compellas. Qui verò erga te, optime magiſter, fidos ſe gerunt, quo, quæſo, donabuntur nomine? Cùm extremos in cruce cruciatus ac diriſſima tormenta patereris, magna ad Patrem tuum voce clamas, inimicis vt tuis ignoſceret: quin imò ſcelus eorum excuſas dicens, *nō ſcire eos quid faciunt*. Et mirabor, Domine, tum te, cùm tibi crux inſtruitur, corporis tui Sacramentum ſanguine & ſancti amoris flammis rubeſcens nobis inſtituere ?

Ioan. 20. *Luc. 10.* *Act. 9.* *Matt. 26* *Luc. 23.*

II. Huc adeſte & accurrite Angelici ſpiritus, & *in adiutorium noſtrum* feſtinate, ad huiuſmodi amorem tum deprædicandum, tum admirandum. Quid autem vos, qui velut attoniti ac conſternati in arcæ manna propendetis inclinati, facere par eſt, cùm iam videbitis, non panem, qui in deſerto pluit, ſed corpus

Domini adinſtar *roris deſuper* diſtillans, & *nubem*
Iſaiæ 45. quæ *pluat iuſtum*, & *terram* quæ *aperta germinet Saluatorem*? non fruſtra vos compello, Angeli, de veſtro enim pane hîc loquimur, de quo nimirum ſcriptum
Pſal. 77. eſt, *Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo.* Quo enim cibo alio in cælo, cælicę mentes, vi-
Cant. 1. uitis, quàm pura Dei ſubſtantia, qua *paſcimini in meridie* & calido, & claro; quo, quàm amoroſa quadam viſione, & amore perſpicaciſſimo? Videtis quod amatis, amatis quod videtis, viuitis & viſione ſupremi dilecti & bene-amati, & dilectione ſupremi bene-viſi: vos nutrimini diuinitate eius, quæ homo facta eſt, nos humanitate eius, quę Deus eſt: viuitis ad-
1. *Pet.* 1. hæc aſpectu pulchri illius vultus Chriſti, *in quem* ſemper *deſideratis proſpicere*, contenti, non tamen ſaturi, niſi fortè ſatietate quadam, quæ appetitum ita inexpletum integrumque relinquat, vti priùs erat, tametſi plenè fruitio hæc mentem repleat. Hoc tamen fateamur neceſſe eſt, hoc vos cibo paſci apertis lancibus; nobis verò hunc, regum more, coopertis
Tob. 12. patinis miniſtrari. Vos *cibo* viuitis *inuiſibili*, vti de numero veſtro quiſpiam Tobiæ olim ſignificauit; qui nobis tamen vobiſcum communis ſit.

Aues, quas paradiſiacas vocant, tam quæ per aëra continuo volatu feruntur, quàm quæ arboribus adhæreſcunt, vna eademque paſcuntur eſca, rore inquã cælico: ſic vos ô Angeli, ac nos homines, ambo paradiſo gloriæque cæleſti deſtinati ſumus; at vos liberi eſtis ceu puri quidam ſpiritus, vt noſtræ animæ corporum ſunt arboribus annexę, quamquam non propterea minùs vno eodemque, qui è Patris cęleſtis ſinu deſtillat, rore aluntur: vos tamen liquidiùs ac cla-
Pſal. 8. riùs, nos obſcuriùs; in eo *paulò minùs minuti* à vobis: vtrique tamen eſſentialiter.

Hoc tamen nos præ vobis præcipuũ ac velut prærogatiuã habemus, quòd vos, ſicut aſtomi eſtis & ore caretis, quando myſterijs noſtris, quæ ſacerdotes cõſerui veſtri, qui nõ minùs Angeli Domini ſunt, quàm

vos,

vos, quin imò digniores Angeli, (in quantum ſcilicet faciunt, quæ vos facere non poſſetis) operantur, præſentes adeſtis: adoretis id dũtaxat & odoretis, quod nos accipimus, manducamus, in ſtomachum traijcimus. Vos olfacitis tantummodo Ieſum hunc, qui *flos campi* eſt, & *lilium cõuallium*, cuius *veſtimentorũ odor ſuper omnia aromata*: verùm nos ita eum in animas noſtras tranſmittimus, vt *maneat in nobis, & nos in illo*, idque vnione, ac transfuſione non minùs admirabili quàm deſiderabili. *Cant. 2.* *Cant. 4.*

Cui veſtrûm, ô pulcherrimi Angeli ac cæleſtes nuntij, honorarij Altiſſimi miniſtri, dictum vmquam fuit, *Quodcumque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum in cælo*; adhæc, *Hoc facite*, id eſt, conſecrate corpus meum, *in meam commemorationem*? O ſacerdotum dignitatem pluſquam angelicam! quàm itaque eſt natura noſtra in deificata Saluatoris humanitate exaltata! *Matt. 18.* *Luc. 22.*

Vos verò, fratres mei, ſi diuini huius myſterij participes fieri velitis, an non eximiam vos quamdam animi puritatem & nitorem quemdam angelicum in moribus ſectari par eſt, eique comparando penitus incumbere? Hoc cogitetis velim; indignum quippe ac ſummum nefas foret hunc *panem filiorum canibus*, id eſt, hominibus inquinatis & immundis *mittere*. nam pretioſa hæc *margarita ante* brutos & ſtupidos homines *iacienda* non eſt. *Matt. 15.* *Matt. 7.*

Non ignoratis, cariſſimi in Chriſto, illuſtrem illam glorioſo Patri S. Franciſco oblatam viſionem, qua cryſtallinam Angelus apparẽs phialam aqua limpidiſſima plenam ei exhibuit; viſo hoc oſtendens, talẽ, quoad ſpiritualẽ nitorẽ, eſſe eius debere cõſcientiã, qui diuiniſſimũ hoc Sacramentũ recipere proponit.

Simul etiam moneo, vt angelico orationis atq; inprimis mentalis exercitio ſedulò impigreq; incumbatis, ſi tanto hoſpiti recipiendo dignè corda veſtra præparare volueritis, cuius *auris* libenter *præparationem cordis audit*. In hac ſcil. illuſtrẽ reperietis lucẽ *Pſal. 9.*

ad ipſum agnoſcendum, & ſanctos quoſdam ardores ad reciprocè ac viciſſim eum amandum, hac lucerna ſi careatis, ægerrimè ac niſi ſumma cum difficultate ad nuptialem Agni cœnam admittemini: quin potiùs maximos pietatis ſectatores exuuijs quibuſdam ac præcipuis per myſterij huius ſuſceptionem beneficijs gratijſque comperiemus cumulatos fuiſſe. Adeò vt etiam nonnulli, ſanctitate quadam inſigni præſtantes, ſuam ſat longo tempore ſola huius panis vitæ ſumptione vitam corporalem ſuſtentarint; qui, quamquam ad animæ alimentum ſit deſtinatus, eum tamen, quem dixi, in corporibus ipſorum effectum eſt operatus. Exempla rei huius certiſſima ſunt Catharinæ tum Genuenſis, tum Senenſis, alijque permulti.

Charitati autem ſanctæ comparandæ imprimis ſtudeam⁹ neceſſe eſt, hac enim virtute Angelis prorſus ſimiles reddimur, imò & digniores. Certiſſima quippe Theologorum ſententia eſt, talem dari charitatis gradum poſſe, quæ homines maiori, quàm Angelos, gloria in cælis beare queat: quod in Deipara Virgine Maria contigiſſe certo eſt certius, in plurimis verò ſanctis non omnino improbabile.

3. *Reg.* 19 Quin igitur, adinſtar Eliæ caritatis igne inardeſcimus! Tunc enim Angeli nobis, vti olim illi panem viuum, ſub ſpecierum cineribus coctum, & calicem eius, qui pro nobis *extra portas* Ieruſalem ſanguinem
Hebr 13. ſuum *ſicut aquam effudit*, certiſſimò deferent! Quin
Gen 49. *Dan* 9. Danieles ſumus, *viri deſideriorum*, vt in carcere mun-
Dan 6. di huius, in hoc *miſeriæ* & cœnoſo *lacu*, vel ſacerdo-
Pſal. 39. tum, Angelorum illorum viſibilium; vel Angelorum, ſacerdotum illorum inuiſibilium miniſterio paſcamur!

Quid dicitis ad hæc, chariſſimi? quid? non putatis, Angelos aliquando ſingularis beneficij ac priuilegij loco duxiſſe, Deo permittente hominibus pietate præſtantibus ſacrum corporis Dominici viati-
Pſal. 103. cum poſſe impertiri? Quàm *miniſtri* hi *ignei* obſe-

quium

quium hoc & ministerium, vt singularem quamdam prærogatiuam admittunt! Quàm frequenter sancti huius officij partes cum solitarijs illis eremi sectatricibus, Maria Magdalena ac Maria Aegyptia obiuêre! Onufrius Anachoreta quàm frequentissimè Angelorum è manibus sacra sumpsit mysteria? Pia illa virgo, cuius Cæsarius meminit, mira sacri huius cibarij cupiditate laborans, à quo eam Parochus arcebat, quòd illo indignam crederet, vtpote interioris illius perfectionis parum gnarus, an non Angeli tutelaris operâ sacrosanctam hanc escam accipere digna fuit? quod prodigium cùm Curioni reuelatum esset, è tribus ipse hostiæ particulis, quas in patena collocarat, duas dumtaxat sibi reliquas esse miratus, ablatam vnam virgini datam comperit. An non & ætas nostra parem in Beato illo adolescente Stanislao Societatis Iesu nouitio gratiam videre meruit? Non id mihi porrò propositum est, inducere vos, vt similem cum Deo familiaritatem enixè efflictimque desideretis: nam electæ illæ animæ præcipuas hasce prærogatiuas meritis suis sine controuersia vlla promerentur, quibus nos ipsi, nisi arroganter de nobis sentire velimus, indignos credere debemus. hinc discetis saltē vestra sancto amori corda disponere, vt ad salutem & ædificationem vestrā panem hunc Angelorum, id est, spirituum dilectione incensorum, recipiatis.

Ipsa etiam Sacramenti huius materia, species scilicet panis ac vini, muto quodam sono mutuæ charitatis nos vsum edocere videtur. quid enim aliud panis hic è purissimo farinæ flore constans, & è plurimis frumenti granis compositus ac collectus significat? quid etiam vinum illud è varijs vuis ac botris in torculari expressum designat aliud, quàm vnum & idem nos *corpus esse* cum *Christo* Iesu, & *membra de membris* eius; vnam quoque cum eo massam, vnam coagmentationem, cum ipso denique vnitos ac coagmentatos? quàm esse nos in ipsum transfusos, III. 1. Cor. 12.

 & ip-

& ipſum viciſſim in nos, vti granorum & vuarum li-
quor ita inuicem permiſtus eſt, vt alter ab altero
commodè diſcerni nequeat? Hæc ſcilicet intima illa
vnio eſt, quæ themate, quod hodie explanandum
Ioan. 6. ſuſcepi, euidenter denotatur, *Qui manducat meã car-*
nem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in eo.
Iſaiæ 63. In paſſione quidem tua *ſolus*, Domine, fateor, *tor-*
cular tuum *calcaſti*, & in eodem ſolus cõculcatus es,
ſanguinis tui riuos vndiquaque, vbertim copioſeque
effundens: quem ſacrum liquorem in Venerabili hoc
Sacramento lõgis hauſtibus obbibimus; quo hauſto
in tantum animæ noſtræ colliqueſcunt, vt ſancta qua-
dam adhæſione vnus tecum ſpiritus fiant. Hanc etiã
ob cauſam aqua calici cõſecrando imponitur, vt hoc
ſymbolo populi tecum vnio ſignificetur: quæ expreſ-
ſa ac denotata in eo fuit ſanguine & aqua, quæ ex a-
perto latere tuo in Caluariæ monte profluxerunt.

Verè itaque in ſuauis huius myſterij participatio-
ne cum Pſalmographo exclamare poſſumus, O *quàm*
Pſal. 132. *bonum & iucundum* eſt *habitare fratres in vnum*, con-
cordiæ vinculo inter ſe connexos! Vt verò fraterna
hæc vnio liquidiùs exprimeretur, *vnguento, quod de-*
ſcendit è capite Aaron; & *rori Hermon, qui deſcendit*
in montem Sion, aſſimilatur. In hoc quippe Sacramen-
to diuinorum nobis chariſmatum ampliùs vberiuſ-
que à Saluatore vnctio communicatur, qui ſimul &
altare eſt & ſacerdos, tam hoſtia quàm ſacrificium,
oblatio ſimul & ſacrificãs, deniq; ros quidã cæleſtis.

Pſal. 4. Hic quoque *ſacrificium iuſtitiæ* eſt, quod omnige-
num *nobis oſtendit bonum*, cùm in ſe complectatur eũ,
Exod. 33. qui *omne bonũ* eſt, & *in quo omnes* diuinitatis *theſauri*
Coloſ. 2. inhabitant. In hac etiam communicatione corda no-
Pſal. 15. ſtra *adimplentur lætitia* ab irradiatione ſplendoris à
vultu Dei promicantis. Hoc in myſterio deniq; fide-
Zach. 9. les *multiplicantur per frumentum electorum, & vinum*
10. *germinãs virgines*, eius ſcil. cuiꝰ *nomẽ oleũ effuſum* eſt.
Cant. 1. *Dilectus meus mihi*, canit in epithalamio ſuo ſpon-
Cant. 1. ſa, ceu *faſciculus myrrhæ inter vbera mea cõmorabitur*;

myrrhæ

myrrhæ inquam palato insipidæ & amaræ, naribus verò & olfactui gratissimę. In quonam porrò religionis Christianę actu meliùs sanctiusq; verba hæc vsurpare anima pia queat, quàm in sancta synaxi, in qua suũ illa dilectum inter duo vbera sua, intellectũ scilicet & voluntatem collocat; intellectũ quidẽ, verbis illius credẽdo, voluntatem autẽ, amorem illius amplectendo. *Quod non audit, quod nõ videt, animosa credit fides*; & illũ deinde charitas cõplectitur, quẽ fides dictat adesse præsentẽ. ad quantum, ô fidei Catholicæ sublimitas, perfectionis fastigiũ hominũ mentes sustollis? Hæc verò Cãticorum verba, *Dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur*, an nõ succinere & coincidere videntur illis, quæ in præsenti Euangelio recitantur, *In me manet, & ego in eo*? Exiguum tamen hîc noto discrimen, scilicet, quòd sacrá communio, secùs ac myrrha, odoratui grauis sit & amara, id est, sub obtusiorem sensuum captum non facilè cadat, sed fidei gustui sapida sit, qua scil. agente *videmus & gustamus, quã suauis sit Dominus*. Nisi fortè dicere malimus, inter omnes sensus nostros auditum nec falli, nec aberrare. porrò *fides ex auditu*, quæ indubitabili omnipotẽtiũ verborũ veritati nos cogit acquiescere. *Psal. 33.* *Rom. 10.*

Fasciculus inquam *myrrhæ* amaræ: est enim passionis Dominicæ memoriale & commemoratio; & *myrrhæ*, quæ mortua à fœtore cõseruat cadauera, sicut etiam sancta hæc mysteria gratiæ animabus nostris vitam conferunt, à peccati easdem morte ac putredine auocando. Ad hæc *fasciculus* est, non verò fascis; cùm enim gloriosum se hîc Saluator homini communicet, corpus eius hîc consequenter agile, subtile, clarum, impassibile, leue, penetrans est. *fasciculus* quoque est, cuius fragrantia illecti ac *tracti in odorem vnguentorum post* dilectum nostrum *currimus*. *Cant. 1.* Denique vt corolla ac fasciculus floridus vt plurimum è multis concinnatus est floribus, sic in sacrosancta Eucharistiæ synaxi pulcherrimum quodammodo è versicoloribus flosculis, ad cãdidi illius lilij,

diuinæ inquam humanitatis D. N. Iesu Christi, caulem alligatis, sertum conteximus.

Tenacissimum cœmentum è sanguine componitur & arena; quid porro aliud sunt homines, quàm mobilis & inconstans quædam arena, & sicut *puluis ante faciem venti* ad omne flabrum abripiendus? At sicut arundo in Redemptoris manu in solidum conuersa sceptrum est, sic vbi puluis hic illius permistus fuerit sanguini, tenacissimum ad viuos Ecclesiæ illius lapides compaginandos conflatur cœmentum ac gluten.

Psal. 17.

Ecclesiæ inquam, quæ capiti suo connexa ac sponso, dicere non immeritò potest, esse se ceu *murum*, & *vbera* sua *sicut turris*. Vt enim murus è magna saxorum laterumque inuicem aptè connexorum copia construitur, ita & Ecclesia aliud non est, quàm quædam fidelium, vnius & eiusdem fidei vinculo vnitorum congregatio. Atq; vt in turribus variæ adaptantur apothecæ, ita & nos in hac *sapientiæ domo mēsam* habemus omnigeno ad vitam spiritus conseruandā commeatu instructam. *Nos altare habemus*, ait Apostolus, *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Quod ad murum autem spectat, de mystica illa Solyma sic scriptum est, *Saluator ponetur in ea murus*, quin *&* *antemurale*.

Cant. 8. *Prou. 9.* *Hebr. 13.* *Isaia 26.*

Quàm porrò felix ac beatum aureum nascentis Ecclesiæ sæculum erat, quo nimirum *credentium*, frequentiùs ac feruentiùs panem hunc charitatis manducantium, erat *cor vnum, & anima vna*, ab vno eodemque spiritu, vti filij Dei solent, directorum! tum scilicet hæreticis Ethnicisque, illius aduersarijs, ceu *castrorum acies ordinata*, arctè constipata, optimè cōmunita, velut vrbs ad defensionem vallata, sicuti resp. optimis legibus atque institutis instructa, & vt domus bene directa apparebat. Vt enim castra, vrbes, resp. domus nonnisi mutua vnione & concordia subsistunt, ita & Ecclesia nonnisi per corporis sponsi sui communionem sustentatur ac viget; hæc

Act. 4. *Cant. 6.*

namque

namque bonum illud fermentum est, quod massam illius sustollit ac fermentat.

Si duas tabulas abiegnas glutine tenacissimo conglutinaris, iuncturæ locum vix oculatissimus quisq; pòst percipiet: adeò scilicet arctè strictéque inuicem cohærent. Anne gluten aliquod sanguine Redemptoris dari potest tenacius ac penetrantius? vnde igitur corda nostra cum amantissimo illius corde ita intimè non coniungimus, vt compactura vtriusque nequeat percipi; vt & ipse in animabus nostris sit Deus, & illæ vicissim in Deo, vt cum Apostolo dicere deinde possimus, *Quis nos separabit à charitate Christi?* vtpote coniunctione quadam adeò arcta illi vnitos, vt vnitas sit potiùs quàm vnio; idque iuxta illius Patrem pro nobis orantis orationem, qua ita nos vnum esse cum ipso petebat, vti ipse & Pater *vnum sunt.* *Rom. 8.* *Ioan. 17.*

Dilectam suam sacer ille sponsus malo assimilat granato, per cuius fragmen rubicunda illa & vermiculata grana scita quadam symmetria inuicē iuncta transparent. Pomo hoc allegorici omnes *charitatem,* quæ *perfectionis* est *vinculum,* volunt designari, qua fideles omnes intra bonæ huius matris gremium cōprehenduntur. Quid tamen vetat, quò minùs pomum hoc sanctæ esse dicamus communionis, cuius omnes participant fideles, & quæ ceu *mustum malorum granatorum* esse traditur symbolum? fructus igitur hic amoris est hieroglyphicum: sed, eheu! sicut milites ollam quamdam igneam (ita vocant) componunt, quæ quidquid obuium habet, diffringit ac disijcit, ita misera hac ætate nostra sectarij postquam Saluatoris vestem, quæ eius est Ecclesia, dilacerarunt, in varias sese diuidentes sectas, nefarijs insuper dogmatis suis Domini corpus quemdam faciunt lapidem offensionis & diuisionis, odij ac discordiæ instrumentum. Sic scilicet spiritus nequam è vita ipsa mortem extrahit, cùm Deus è contra è malo eliciat bonum, & *de tenebris faciat lucem splendescere.* Deo supplicemus, fratres, ipsorum vt cæcita- *Cant. 4.* *Coloss. 3.* *Cant. 8.* *2. Cor. 4.*

tem illuminare dignetur, vt suis posthac desinant vmbris ac figuris sancti amoris facem, quæ in huius sacramenti vnionis, pacis & concordiæ veritate vniuersos illustrat ac calefacit, exstinguere vel inobscurare.

Edocti adhuc estis, sanctissimam Eucharistiam diuini esse amoris mysterium, idque 1. è temporis, quo ipsa instituta est, circumstantia, 2. è qualitate ipsius, quòd panis sit Angelorum, 3. è materiæ dispositione. Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus Pater, Filius ac Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

De vnione Eucharistica.

HOMILIA IV.

In me manet, & ego in illo. Ioan. 6.

Plin. lib. 24. c. 17.

TANTAM cum igne habet aproxis herba sympathiam, itaque ad ipsum vergit, & vicissim ita ad ipsam hic inclinatur, vt non modò hæc eum attrahat cominus calentem, verùm etiam vel eminus conspectum collucere; adeò vt ad solum ignis fulgorem ipsa incendatur, & ad ipsam vicissim ignis approperet, mox vt fulgor eius gratum hoc alimentum perceperit; imò tam pertinaciter illi adhærescit & conglutinatur, vt nulla eum exstinguere superfusa aqua valeat, quoad vsque bituminosum & sulphureum illud fomentum, adeò sibi connaturale ac gratum, consumpserit. Quod verò omnem admirationem superat, est, tam celeriter inciteque huc ignem se proripere, vt ipsam herbæ speciem

ciem assumat,sicut & ipsa in ignem conuertitur; ad-
eò vt & herba igniat,& ignis herbescat. Videtis igi-
tur,dilectissimi, in rebus hisce sensus expertibus a-
morem quemdam propè sensibilem, & egregium
quoddam suauis illius,qua amans in amatum, & a-
matus in amantem transit,transformationis symbo-
lum.Cùm verò etiam ex sententia Philosophi illius,
cui diuini cognomentum dederunt veteres, homi-
nes quædam sint arbores, sed inuersæ,mobiles,ani-
matæ,ratione donatæ,& iuxta phrasim sacram,plan-
tæ viuæ,bonæ vel malæ, iuxta fructum quem profe-
runt; quare non tanto ipsi in Deum illum,qui se *ignẽ* Deut. 4.
appellat *consumentem*, quique in tonitruis, lucer- Exod. 3.
nis,fornacibus,ac rubis ardentibus apparet,ferimur
impetu, quanto ille erga miseras animas nostras,in
quibus maximæ illius sitæ sunt deliciæ, fertur at-
que propendet? Quin tanto tamque ardenti in san-
cti ipsius amoris flammis emoriendi pereundique
ardemus desiderio, sicut dius hic ignis paratus fo-
ret ad nos in seipsum transmutandos,si modò eam,
quam par esset, dispositionem adferremus! Quid
porrò non facit, vt amicum hunc effectum conse-
quatur,per quem sacra quadam reciprocatione ipse
nobis,& nos ipsi vniamur? Hanc ob causam seipsum
suæ benignus Redemptor Iesus in epulo Eucharisti-
co in cibum Ecclesiæ reliquit, vt per augustissimi Sa-
cramenti huius perceptionem haud aliter illi con-
iungeremur,quàm ille se nobis insinuat. Atque hoc
est, quod in proposito themate dixit, *Qui mandu-* Ioan. 6.
*cat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me
manet, & ego in eo*; Deo se scilicet hominem quo-
dammodo faciente, vt fiat homo Deus. Tu,ô Vir-
go sacratissima, Dei huius incarnati mater, ve-
ra aproxis, quæ eum de spæræ suæ cælestis sum-
mo in vterum tuum attraxisti, sacra es dilecti
huius ignis herba, sicut ipse vicissim blandus
est viridis vernantisque virginitatis tuæ ignis,

Cant.7. quam incomparabilis maternitatis prærogatiua insigniuit. Tu *dilecto* tuo, cuius etiam totius *ad* te *conuersio* eſt: cui enim creaturæ, præterquam tibi ſoli,
Pſal.2. datum eſt Deo dicere, *filius meus es tu*? cui alteri quã tibi dicere poſſet Deus, Tu mater mea es? Per arctiſſimam hanc, quæ te inter ac filium tuum contracta eſt vnio, te obſecro, mater glorioſiſſima, gratiam vt ab eodem mihi impetres illius pro dignitate exponendæ, quam infinitæ ipſius bonitati in Euchariſtico Sacramento nobis placuit communicare. *Aue Maria.*

Iudic.6. Non magis, auditores in Chriſto dilectiſſimi, Gedeonis vellus rori erat cæleſti vnitum, & ros velleri:
Exod.3. haud magis etiam ferrum candens & accenſum penetrat ignis: denique non magis rubus, quem Moſes conſpexit ardentem, non tamen ab igne conſumptũ, flammis fuit circumdatus; quàm animæ noſtræ ſunt Deo repletæ, ac ſuperpletæ per corporis Dominici participationem. De ſacra hac coniunctione omnis, quanta quanta eſt, hodierna homilia pertractabit, oſtendetque 1. eam eſſe realem, 2. ſuauem, 3. potentem. Auſcultate.

I. Si inter ſacroſanctam Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti communionem, & ineffabile incarnationis diuinæ myſterium miram ac magnam eſſe dixero ſimilitudinem, multaque in vtroque myſterio paria inueniri; nihil noui dixero, & quod non plerique illuſtres ſuis in ſcriptis ac tractatibus ſcriptores copiosè abundeque pertractarint. Sed, vt in ſuo quiſq; ſenſu abundat, ipſis cedens, quæ ipſorum in horto nata ſunt, anne dicere audeam de meo, ſi æterni incarnatio Verbi generalis quodammodo fuit cum natura humana vnio, Sacramentum Euchariſticum quamdam eſſe cum indiuiduis ſingulis particularẽ coniunctionem; adeò vt quicumque ſacra capeſſiuit myſteria, eiuſdem, cuius Beatiſſima Virgo, quæ ſuis Saluatorem Ieſum viſceribus concluſit, felicitatis ac beatitudinis particeps reddatur? Cùm ſoli huic iu-

ſtitiæ

ſtitiæ ſatis non eſſet lucidos illuſtris claritatis ſuæ radios per cælum pariter ac terram diffundere, vtpote qui & *lux eſt mundi*, & *ſplendor* ac candor *Patris* æterni; ſuũ inſuper fidelib⁹, qui velut *lucernæ in caliginoſo loco*, & *quaſi ſtellæ* radiãtes per terræ ſuperficiẽ diſcurrunt, ineffabili quodam modo fulgorem communicare eſt dignatus. An non huc quodammodo illa Dauidis verba alludant, & conceptum hunc noſtrum confirment, *Sacrificate* Deo *ſacrificium iuſtitiæ*, & *oſtendet* vobis omne *bonum: ſignabitur ſuper* vos *lumen vultus* eius, & *dabit lætitiam in cordibus* veſtris. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicabit* vos, donec *in pace in idipſum dormiatis & requieſcatis.*

Ioan. 8. Hebr. 1. 2. Pet. 1. Dan. 12. Pſal. 4.

In incarnationis myſterio virgineo ſe Saluator vtero abſcondit, in Euchariſtico verò ſub ſpeciebus Sacramentalibus deliteſcit; vnde nos ille, ceu ſponſus ille Salomonicus *per cancellos & feneſtellas* reſpicit: adeò vt in vtroque myſterio ſuum *Dei abſconditi* nomen retineat. In incarnatione puriſſimus cordis virginei ſanguis factus eſt ſacra Saluatoris caro, qui non homo modò, ſed & filius hominis factus eſt. In Euchariſtico verò verborum omnipotentium virtute panis ac vinum in Ieſu Chriſti carnem & ſanguinem tranſeunt.

Cant. 2. Iſaiæ 45. 15.

Quorum verborum occaſione notandum hic occurrit, verba, poſt quæ prolata immediatè ipſa ſecuta eſt Verbi incarnatio, inſigni aptaque quadam harmonia ijs, quibus Redemptoris corpus in altari præſens ſiſtitur, correſpondere. Mox enim vt Angelico nuntio legationique aſſenſum Deipara verbis illis perpetuò maxima cum veneratione recolendis præſtitit dicendo, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; vnigenitus Dei filius, vnico temporis momento, occulta ſpiritus ſancti operatione, eius in vtero carnem humanam induit. Ita ſimul ac adoranda illa verba: *Hoc eſt enim corpus meum*, Sacerdos protulit, eadem illa caro, in virgineo olim efformata vtero, in ſacra præſens ſiſtitur hoſtia. Totidem hîc, quot ibi, ſunt

verba; numero quidem paria; in eo tamen disparia, quòd prima à creatura sint, posteriora à Creatore ipso prolata; quibus qui iniquè potestatem negant Christum præsentem in altari sistendi, videant, quæso, quàm iniqui rerum sint æstimatores, dum plus creaturæ quàm procreatori tribuunt; vnum quidem horum mysteriorum credunt, alteri verò auctoritatem abnegant.

Porrò in vtroque Dei filius cælo dicitur descendere, tametsi, in quantum Deus, semper in cælo præsens adsit, non cælum tantũ modò ac terram, sed infinita etiam & inimaginaria spatia implens. De primo
Psal. 17. descensu dictum est, *Inclina cælos tuos, & descende*; &
& 143. in Symbolo, *Qui propter nos homines & propter nostrã salutem descendit de cælis.* De secundo dicimus, eum quamuis Patris sui Omnipotentis, ad quam iam inde ab ascensione sua gloriosa considet, dextram non deserat, suum nõ ideò minùs in varijs locis corpus præsens sistere: cũ hoc nullo modo cum eius pugnet om-
Luc. 1. nipotentia; *apud* quem *omne verbum nõ est impossibile.*

In incarnatione caro à Verbo sustentata est; adeò vt, prout Symbolum testatur Athanasij, *non in* humanitatem & *carnem conuersa* sit *diuinitas*, sed illa huic vnione arctissima, hypostatica, personali coniuncta, & *humanitas in Deum assumpta*. In Eucharistia autem accidentia sine vllo prorsus subsistunt subiecto, panis substantiâ in corpus Dominicum transsubstantiatâ, adeò vt non in panem transierit Christus, sed in
Ioan. 6. carnem Iesu Christi panis sit commutatus, qui est
Psal. 77. *panis, qui de cælo descendit, panis viuus, panis caro fa-*
Matt. 7. *ctus, panis Angelorum, panis supersubstantialis.*
Ioan. 1. In incarnatione *Verbum caro factum est*; in mysterio altaris verbum carnem hanc Deum factam, præsentem exhibet. In incarnatione diuinitas se iunxit humanitati; in Eucharistia humanitas iam non am-
Ephes. 5. pliùs à diuinitate separabilis corpori nostro sese
1. *Cor.* 6. cõnectit & animæ. Adeò vt *os de ossibus, caro de carne,*
Ioan 15. *mẽbrum de membro* Iesu Christi, *palmites* quoq; eius,

qui

qui se *vitem* appellat; vineæ, illius vlmi; rami, illius trunci; hedera, illius parietis, sed adhæsione connexioneque arctiori ac penetrantiori reddamur.

Sumus nimirum *oleastri* illi siluestres, de quibus loquitur Apostolus, *in bonam insiti oliuam*; quod præter communem inserendi morem fit. plerumq; enim rami naturales & genuini siluestribus truncis inseruntur. Sed hic rerum inuersus ordo multò nobis est salutarior ac commoda maiora adfert: vt enim docet S. Augustinus, non nos Dominum ipsum sumendo in nos conuertimus, sed nos è contra in ipsum mutamur, *conformes* nos *imagini illius* reddendo. *Rom. 11.* *Rom. 8.*

Nec verò cogitare debemus, nonnisi symbolicam, idealem, & imaginariam hanc vnionem esse, sed realem & verè substantialem. vt enim eleganter aureum illud os Ioannes Chrysostomus ait: *Non tantùm amore & charitate, sed reipsa ac facto, diuini huius cibi, quem nobis dedit Saluator, adminiculo illi coniungimur, per hunc enim ipse nobis commiscetur, ac suum nostro corpus incorporat, vt illi non aliter connexi & consigillati simus, quàm capiti corpus per collum coniunctum est.* Hoc ergo sacramentum an non iure merito collo sponsæ, quod in sacro Epithalamio *turri Libani* simile esse perhibetur, *turri fortitudinis à facie inimicorum* nostrorum, *turri Dauid*, vel filij Dauid, *ex qua pendet omnis armatura fortium*, quodque omnis boni nostri est armamentarium; turri longæ, & illius *canalis* sacri, qui in Canticis describitur, per quem regia decurrit *purpura*, sanguinis scilicet illius coccinum, simili queat assimilari? *Hom. 61. ad populum.* *Cant. 7.* *Psal. 60.* *Cant. 4.* *Cant. 7.*

Vnio realis inquam, tam secundùm corpus, quàm animam: spiritualis siquidem vnio extra Sacramentũ fieri potest, nempe per cordialem quamdam visitationẽ, & *inhabitationẽ spiritus sancti in cordibus nostris*, per irradiationes, pias inspirationes, & illuminationes. Sed hîc omnia realia & solida sunt, quin imò *Rom. 8.*

(vt

(vt cum illuſtri illa Galliæ noſtræ lampade ac ſole
Hilario loquar) *naturalia*. Qui loquendi modus ad-
mirabilis eſt, ab illo tamen procedens ore, quod ſuo
Lib. 8. de Trinit. erat æuo celebre totius Eccleſiæ oraculum. *Vnitas
hæc*, inquit, *non voluntatis modò eſt, verùm etiam natu-
ralis, iuxta illam Domini ſententiam, Qui manducat
meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet,
& ego in eo.* Eiuſdem etiam ſententiæ, quoad hanc
In Ioã. 15. naturalem Saluatoris nobiſcum per Sacramenti hu-
ius participationem vnionem, Alexandrinus Cyril-
lus eſt: *Per fidem*, inquit magnus hic vir, *& charita-
tem ſpiritualiter quidem Deo vnimur; at alia nos cum
illo vnione vniri non poſſe, ſecundùm carnem ſcilicet, pe-
nitus negamus, & id ſacris aduerſari ſcripturis dicimus.
1. Cor. 12. Audite quippe Apoſtolum loquentem, Omnes vnum cor-
pus ſumus in Chriſto. is corporaliter in nobis per ſuæ com-
munionem carnis commoratur. quomodo enim alioquin
1. Cor. 6. fidelium membra futura ſunt membra Chriſti? An neſci-
tis, inquit Apoſtolus, quoniam corpora veſtra membra
Ioan. 6. ſunt Chriſti? An non etiam ipſemet Dominus dicens, Qui
manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in
me manet, & ego in eo, manifeſtè declarat, ſe in nobis
eſſe, non per charitatem tantùm & amorem, verùm etiã
per communionem naturalem: adeò vt, quemadmodum
duæ ceræ liquefactæ inuicem incorporãtur, ſic per Domi-
nici corporis ac ſanguinis receptionem ipſe nobis, & nos
ipſi incorporemur.*

Hom. 66. ad popul. Chryſoſtomus hanc ipſam vnionem naturalem
acriter etiam vrget, & ſimilitudine à matribus, pro-
pria paruulos ſuos ſubſtantia (ſed ſubſtantia, quæ
ferè nonniſi quoddam excrementum eſt, vel ſaltem
quædam ſubſtantiæ ſuperfluitas) enutrientibus pe-
tita inculcat: ſed quæ vniuerſa ſua prolem nutriat
ſubſtantia, nullam omnino matrem reperire eſt, vti
nos paſcit is, qui cùm noſter ſit pater, amorem nobis
manifeſtat pluſquam maternum: cùm paſtor ſit, a-
morem pluſquam paſtoralem. *quis enim paſtor*, petit
Chryſoſtomus, *ſuo oues paſcit ſanguine, vti ſuo nos*
bonus

bonus ille Pastor noster nutrit, florentissima vernantissimaque carnis suæ nobis pascua etiam proponens, quæ quidam *flos campi* est, omnibus omnino mortalibus in escam propositus? Cant.2.

Amici Iob sui erga eum affectus vehementiam declaraturi, aiebant, *Quis det de carnibus eius vt saturemur?* Quæ loquendi ratio à blanda illa & amorosa matrum, paruulos suos inter suauiandum mordentium, non tamen lædentium, actione deriuata est, dũ *dentes illædunt sæpe labellis*. Sed quid hæc sunt, si cum nimio illo excedentique *nutritij Ephraim* amore cõparentur, qui infinitis maiorem partibus charitatem ostendit, quàm Propheta ille, qui se super viduæ filium, vitam illi restituturus, contracto corpore extendit? Iob 31. Osee 11. 3. Reg. 17.

Vnio coniugalis, qua duo corpora vna fiunt caro, semper habita fuit arctissima, eò quòd *Sacramentum hoc magnum sit in Christo & in Ecclesia*. Sed quid, obsecro, commercium illud carnis ac sanguinis in vinculo matrimoniali situm singulare habet, si castissimam ac purissimam cordium ac corporum nostrorum cum venerando corde & corpore sponsi cælestis coniunctionem cum eo conferamus? An non per diuinam hanc copulam ad omnium bonorum eius cõmunionem admittimur? an non quidquid habet, nobiscum id ipse communicat, & nostrum facit, cùm se penitus reddat nostrum? Cùm autem Pater suum *nobis dedit filium, quomodo non omnia cum illo nobis donarit? Ostendam tibi omne bonum*, aiebat Deus olim Mosi, cùm tamen non nisi posteriora ac tergum illi ostensurus esset; quomodo ergo non omne nobis donet bonum, dando nobis illum, qui *est figura substantiæ suæ*? Ephes. 4. Ioan. 17. Rom. 8. Exod. 33. Hebr. 1.

O cibum multò Lotho veterum sapidiorem, quique effectu salutariter contrario veræ nobis patriæ nostræ, cælestis inquam, memoriam assiduè refricat, & terræ huius morientium, vallis huius lacrymarũ, in qua & morimur viuendo, & viuimus moriendo,

non aliter quàm peregrini ac viatores, obliuionem inducit! O cibum verè diuinum, qui à terrenis nos auocas delicijs, vt *inebrianti* voluptatum cælestium *calice* nos potes ; quique allia Aegyptiorum nobis
Apoc. 2. facis desipere, quò *manna absconditum* degustemus! O cibum viuum, qui quoties te recipimus, in te nos conuertis!

Tu, ô sacra & angelica esca, germen es Christianorum; contines quippe sanguinem Regis Martyrum; tu nostræ immortalitatis semen es: scriptum est e-
Ioan. 6. nim, *Qui manducat meam carnem, viuet in æternum.*
Ioan. 18. Tu *granum* illud *frumenti in terra mortuum*, sed in gloria resuscitatum: tu viuum quoddam theriacum, quod à veteris serpentis morsu nos præseruat, iniquitatibus nostris futurum alexipharmacum: tu gra-
Luc. 13. num illud sinapios, specie quidem exteriori exiguũ, sed virtutis incomparabilis : tu fermentum illud Euangelicum, quo indito cordis nostri massa simul
Matt. 13. conditur & sustollitur. porrò fermentum illud *farinæ satis tribus* immistum fuit, quorum vnum quid sit, hactenus declarauimus; iam ad reliqua duo veniamus.

II. Declaraturus porrò vnionem hanc Eucharisticã non minùs esse suauem, quàm eam realem ac veram esse adhuc ostendimus, solius experientiæ probatione ad ipsum manifestandum opus esse existimo. Atque huius experientiæ gnara sponsa illa sancta, nullâ aliâ præmissâ speculatione, statim in ipso epitha-
Cant. 1. lamij sui intuitu & exordio sacrum *oris* sponsi sui *osculum* efflagitat. quid porrò osculum hoc designat aliud, quàm dulcem quamdam, cordialem, penitusque spiritualem vnionem? Vt enim corda nostra per verba effundimus, & verba per os proloquimur; sacro sanè hoc osculo sola hæc declaratur effusio, ac veluti reciproca cordium transfusio: atque huc demum sanctus amor tendit. Deum immortalem, quid dicturus sum? an non quando sacerdos, velut orga-
Psal. 109. num & interpres eius, qui *sacerdos est in æternum, secundùm*

cundùm ordinem Melchiſedec, ſancta illa protulit verba, *Hoc eſt corpus meum*; an non tunc inquam ad aſpectum tam venerabilis myſterij, *coram quo tremunt Angeli*, ait Chryſoſtomus, & quæ *portant orbem* poteſtates, acclines *incuruantur*; in pij cuiuſdam feruoris exceſſu dicere poteſt, *Oſculetur me oſculo oris ſui?* cùm enim Saluatoris corpus verbi illius, verbi inquam, quod benedictum os eius protulit, virtute ac potentia præſens adſit, quæ per communionem fit vnio, an non verè *oſculum oris* ſponſi appellari poteſt? *Iob 9.*

Obſeruetis autem velim, fratres in Chriſto dilectiſſimi, ſponſam hanc adeò eius amore æſtuare & correptam eſſe, vt nomĩnare illum omittat, ad cuius oſculum tam anhelè inardeſcit. *Oſculetur me.* at quis? ô *pulcherrima inter mulieres*. is, eheu! *quem diligit anima mea*. Sed quis ille? *electus ex millibus*. Ex *abundantia* ſcilicet *cordis verbum* hoc ipſa *eructat*, atque quæ ſentit, *regi* affectuum ſuorum *dicit*. Hoc ipſa ſuſpirium ex profundiſſimo cordis penetrali eiaculari videtur, adinſtar muſti cuiuſdam, quod ſuo in æſtu efferueſcens, dolij, cui inarctatur, circulos atque epiſtomium diſrumpit. Non hæc quædam ſanguinis eſt ebullitio, ſed quidam ſpiritus, à quo occupata eſt, feruor. Atque vt ventus ſubterraneis cauernis coarctatus ingentes ciet motus ac fragores, ad obſtacula, quibus retinetur, ne liberè prorumpat, diſijcienda: ſic amor, quo Amans hæc inæſtuat, omnem illi in deſiderio ſuo exprimendo & affectu aduertentiam aufert. Eadem hæc ſponſa, cùm dilecti eſſet ſui priuata conſpectu, *num*, quæritat, *quem diligit anima mea, vidiſtis?* vnicuique tam diſtinctè notum eum eſſe ſibi perſuadet, quàm hunc ſuo ipſa profundè cordi inſculptum geſtat. Pœnitens illa Magdalena, dolore ſimul & amore extra ſe rapta, cùm dilectum ſuum Dominum in ſepulcro, quò ipſa ad eum inungendum properabat, minimè inueniret, *Cant. 1.* *Cant. 5.* *Luc. 6.* *Pſal. 44.* *Cant. 3.*

Heu!

Ioan. 20. Heu! exclamat, *tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum*. Solari eam volunt Angeli, atque ideò lenibus eam verbis & angelicis affantur. Sed frustra: *quis enim modus adsit amori?* Quòd verò non satis citò, ac fortasse ipsa vellet, ei dicerent, vbinam esset, ipsa eos ad tumulum relinquit, suumque mox Dominum in hortulani inuenit specie. Sed, cùm peregrina hæc eam deciperet forma, atque in hac suum latere magistrum minimè putaret, & hũc ex abrupto percontatur dicens, *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Vbi primùm eum ex respondendi formula agnouit, ad illius se ilico abiecisset pedes, vnicum malorum suorum asylum, nisi amantem ac feruidam eius audaciam Dominicum præceptum confestim inhibendo fregisset. Quotnam, Deus bone, in sanctis hisce cogitationibus latent deliciæ ac suauitates! sed quantum hæ à vera illa distant suauitate, quam ea sentit anima, quæ feruenti quodam animata æstu ad sacram communionem accessit! cùm enim tunc receperit illum, qui fauo mellis est dulcior, an non cum alia illa dicere po-
Cant. 3. test, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec di-*
Gen. 32. *mittam?* vel cum Iacob, *non dimittam* eum, ne quidẽ *vt benedicat mihi*: neque enim tam Dei quæro benedictionem, quàm Deum benedictionis?

Psal. 33. *Gustate*, ò mundani, *ac videte, quàm suauis sit Dominus.* Scio, eheu! plerisque vestrûm satis fore, eum vel videre, odorari, & adorare, dum libenter sacris sacrificij Christianorum mysterijs præsentes interestis: at quàm pauci frequenti eum communione degustant! sanè priusquam puer saccarum gustauerit, frustra illi persuadere coneris, vt præ illius dulcedine materna deserat vbera; at vbi primùm dulcorem hunc degustauit, omnia præ illo contemnit. Neque verò mirandum est, ò mundani, terrenis vos voluptatibus tam perditè adhærescere, cùm tam rarò, vti facitis, manna hoc degustetis cæleste omnigenos sapores & delectamenta in se habens. Sed, obsecro,

ſecro, ſemel bene & prout oportet, ex eo deguſtate, certo morſu dentes in ipſum defigite, & paſcuum hoc debita quadam purgatione & præambula præparatione præmiſſa, & animæ palato à peccãtibus moribus & humoribus non deprauato guſtate; & auſim polliceri, vos limpidis fontis viui aquis iam repertis, in *vijs Aegypti* non ampliùs hæſuros, vt putiſcentes & *turbidas* illius *aquas obbibatis*. *Ierem. 2.*

Sed venite, ô piæ mentes, puræque animæ, ac ſæpius *aquam* illam vitæ *de fontibus* illis *Saluatoris* *Iſaiæ 12.* *haurite*. Hîc enim verè inuenietis *oſculum* illud ſanctum, quod ſponſa tam ardenter cõcupiſcit. At procul hinc aures profanæ: *eloquium* quippe *Domini caſtum*, *argentum igne examinatum, purgatum*: & *Pſal. 11.* ſancti ſponſi *flores ſunt fructus honoris & honeſtatis*: *lac* *Eccl. 24.* quoque *& mel ſub lingua* habet; ſymbola hæc ſunt puritatis, illud quidem ob candorem, hoc verò, quia apes, à quibus concinnatur, virgineæ ac caſtæ ſunt. Sacer amor *vittam coccineam* habet, nõ quidem, qua *Cant. 4.* oculos velet, vti cupido ille profanus, qui cæcus, impudens & imprudens eſt; ſed quam labijs & ori obtendit: quod verborum eius honeſtorum ſignum & *Ibid.* nota eſt. *Genæ* eius rubent *ſicut fragmen mali punici*; modeſtæ illius verecundiæ rubor hic argumentum eſt. Non ignoro ſenſualia laſciuorum oſcula *venenum* *Pſal. 13.* *aſpidum ſub labijs* fouere, & ex peſtifero ipſorum halitu, qualis tabidorum & hircorum eſſe ſolet, de interno eorum calore ac putrefactione ſatis iudicari poſſe; at ſponſi ſancti oſcula ſanctificationem quamdam ſecum trahunt, ipſumque cor, quod ea deguſtare meretur, *aromatizanti* replent *balſamo*.

Audite, obſecro, vt in vehementi amoris ſui impetu declarando amans illa pergat: *Quia meliora ſunt vbera tua vino*. An non diceretis illam, ſuauitate circumſecus delibutam, omnis verborum ornatus & elegantiæ oblitam eſſe. *Oſculetur me*, dicens, tertium quemdam alloquitur; deinde ad dilectum ſuum conuerſa, quia *meliora*, inquit, *ſunt vbera tua*. Illumne

præſentem, an abſentem dicemus? ſi enim præſens adſit, cur ſociabus ſuis ait, *Oſculetur me?* ſi abſens, cur ad ipſum orationem conuertit? Amoris affectuſque eius vehementia tanta eſt, vt quod penes ſe habet, ipſum è manibus ſibi credat fugiſſe; vel, quod abeſt, per imaginationis ſuæ potētiam, ſuos ob oculos verſari credat. An non, dilectiſſimi, vehemens hic & amoroſus motus in ſacra cōmunione æquè fœliciter adhiberi poteſt, cū reali quadam, tametſi inuiſibili, præſentia ſponſus hic præſens adſit; adeò vt, quāuis ſenſu nō percipiatur, præſens nihilominùs ſit, perinde ac ſi nō eſſet ſub ſpeciebus ſacramentalibus ſcil. deliteſcens? ſi porrò ſenſus noſtri decepti in illius falluntur præſentia, tamquā ſi abſens eſſet; fidei eſt,
2.Cor.10. cuius partes ſunt *in captiuitatem intellectus* noſtros *in obſequiū* diuinorū verborū *redigere*, præſentiā illius nobis refricare ac reddere: nō tamen quòd fides eum præſentē ſiſtat, ſed omnipotens illius verbū. Hæreticorū quippe eſt, ſuæ plus fidei tribuere, quā Dei omnipotētiæ. Itaq;, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, dicere pia quælibet anima poteſt ad ſacroſanctā iam accedēs & anhelans ſynaxin, at poſtquā ſancta myſteria capeſſiuit, dicat audacter, *quia meliora ſunt vbera tua vino.* Hîc rurſus alia & noua ſanctæ ebrietatis ſpecies apparet. Quid dicis amans, nō quadrant vbera ſponſo, ſed ſponſæ: hancq; ob cauſam tua tantopere ipſe extollit ſponſus, eadem & pulchra dicens, & fœcunda, lacteq; turgida. Reſpondere ipſa poteſt, Alij quidem
Cant.5. ſpōſi ſinu ſunt arido ac ſterili, ſed meus, *electus* & ſingularis *ex millibus*, nō ēſt talis: nā diuina hæc myſteria totidē quodāmodo ſunt vbera fœcundā, è quibus
Gen. 35. *filij dextræ* eius, vel *reginæ à dextris* eius, Eccleſię illius
Pſal. 44. ſanctæ, omnem pietatis ſuæ liquorē & ſuccum exſugunt, atque, vt myſtici quidam Beniamini, placidè molliterq; in deſiderabilis huius Iacobi gremio requieſcunt.

Cara inquam ſponſi ſacri vbera, è quibus omne animarum, quibus ad hæc datur accedere, alimentum dima-

dimanat! N*ónne videtis*, inquit Chrysoſt. *quanta prom-ptitudine & auiditate paruuli matrum ſuarum papillas arripiant; quàm illi celeriter ad illarum confugiant ſinum, quàm arctè tenellum oſculum & labia mamillis ipſarum infigant. Cum tanto, fratres, ardore ad ſacrā properemus menſam, & vt paruuli lac, ſic nos auidi ſitibundiq́ gratiam ſpiritus, vel ſpiritum gratiæ inde educamus; & vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari.* Hom. 83. in Matthæum.

Vbera tua meliora ſunt vino. Spiritualium deliciarum lac multis eſt partibus melius ac ſapidius ſenſualium ac terrenarum vino: hæ enim mentem offuſcant, hebetant, ſenſu priuant, rationis lumen extinguunt, ſpiritum perturbant, tetris cerebrum opplent vaporibus, fœdum maleolentemque, vini in morem, cauſantur fœtorem: ſed illæ cerebrum corroborant, anhelitum ſuauem efficiunt, & amicabiliter & cordialiter, lactis inſtar, hominē ſuſtentāt. Vinū tandem in dolijs, ſi ſæpiùs hauriatur, deficit; quin etiam poſt longā temporis moram vappeſcit, fæcem denique in fundo habet & acidam & corruptā. Eius generis ſine controuerſia ſunt deliciæ ac voluptates mundanæ, breuiſſimi ſcilicet temporis, finem miſerū habentes, momentaneæ, ſimul etiam certo limite circūſcriptæ, & tandē perituræ: at ſpirituales, adinſtar lactis mamillarum, quò vſurpantur frequentiùs, increſcunt magis, quò adhibentur ſæpiùs, eò ingruunt denſiùs: cor namq; in earum fruitione ſe extēdit, in illarum ſapore dilatatur. *Hoc*, vt ait Gregorius, *eſſe diſcrimē, fratres cariſsimi, inter delicias corporis & cordis ſolet, quòd corporales deliciæ cū non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt: cùm verò auidè eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contrà ſpiritales deliciæ, cùm non habentur, in faſtidio ſunt, cùm verò habentur, in deſiderio: tantoq́; à comedente ampliùs eſuriuntur, quantò & ab eſuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet: in illis appetitus ſaturitatem,* Hom. 36. in Euāg.

saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant: quia quantò magis earum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quòd auidiùs ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur.

Quoties, ô pia anima, cum D. Petro in monte Thabor medias inter hasce mensæ spiritualis delicias
Matt. 17. clamasti: *Bonum est me hîc esse: hîc* meum *facere ta-*
Psal. 131. *bernaculum* volo: *hæc requies mea; hîc habitabo, quo-*
Num. 24. *niam* locum hunc *elegi. Quàm dilecta tabernacula*
Gen. 28. *tua Iacob, & tentoria tua Israel?* O domus Iacob, qui dicebat à somno suo excitatus, *Verè* Deus *est in loco isto: non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.*

Cant. 5. Psal. 35. *Venite* ergo animæ *carissimæ*, & *inebriemur* hoc *torrente voluptatis* sacræ ab hoc fonte viuo dimanantis. Nolite metuere animæ puræ, ne in malum aliquem excessum hæ vos deliciæ faciant impingere:
Ephes. 5. neque enim sensibilis quidam cibus est, neu *vinum*
Zach. 9. *quod generat luxuriam* aut dissolutionem; quin potiùs *frumentum electorum, ac vinum germinans virgines.*

Cant. 1. Dulcia hæc sponsæ vbera suauiora sunt & *fragrantiora vnguentis optimis.* si sensibili fortè eorum sapore & gustu priuatæ estis, illorum tamen odore priuari non potestis: omnes enim diuini pigmentarij aromaticæ compositiones & nidores in sacro hoc thymiamate ac suffitu adhibentur. Puellæ ac filiæ, tenellæ illæ animæ sancto amore inardescentes *post* dilectum hunc *currunt in odorem vnguenti*, quem exhalat, in cuius olfactu ad fortunatas tandem cæli insulas tendunt & aspirant.

Gen. 27. Isaac cæcutiens cùm Iacobi ad se, ad benedictionem paternam recipiendam accedentis, fragrantiam perciperet, *Ecce odor*, inquit, *filij mei, sicut odor agri pleni* & florentis. Sic qui ad sacram communionem accedit; hoc in mysterio quoad corpus quidem cæcutit,

tit, etsi quoad spiritum acutè & perspicaciter videat: vocem quidem cælestis sui Iacobi audit, etsi manus eius, sanctæ inquam species, manus sint Esau; sed vbi diuini huius corporis sub accidentibus latentis, vti Iacobi in pelliculis sibi adaptatis sese occultabat, odorem percipit, clamare potest, *Ecce odor dilecti mei sicut incensum & odor suauitatis*: vt enim D. Thomas in sua de Ven. Eucharistia prosa ait: Eccl. 24.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides;
Et fit sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

fides quippe eiusdem nos incomprehensibilitates facit comprehendere, & *fides* hæc *per auditum venit, auditus autem per verbum Dei.* Rom. 10.

O admirabilem fidei potentiam, quæ supernaturale quoddam nobis lumen communicat, cuius adminiculo & ope illum agnoscimus & perspicimus, qui *lucem habitans* oculis nostris corporeis *inaccessibilem, ponit in tenebris* infinitatis suæ, quæ à debili ingenio nostro penetrari nequit, *latibulum suum!* Si olim hæc medio solem in cursu in cælis stitit, iam illum nobis in terra tenui specierum in hoc mysterio tectum velamine contemplandum ac spectandum dat. 1. Tim. 6. Psal. 17. Iosue 10.

III. Si itaque fides, dum intellectus nostros cum veritatibus diuinitus reuelatis copulat, & vnit, tot tamque admiranda, vti sacræ ostendunt litteræ, operata est; quid non fidelis faciet oratio in corporum nostrorum ac cordium cum Sacramento Eucharistico vnione effusa? si Lunæ lumen increscit & fit luminosius ad solis, à quo omne suum illa mutuatur lumen, aspectũ, si adhæc ossa medullâ ad Lunæ incrementum adimplentur, quomodo non animæ nostræ *adipe* hoc *frumenti satiata* corroborentur? Psal. 147

Esse sexus quoddam inter palmas dicitur discrimen, & vna ad alterius conspectum & florescere & fructus proferre. quomodo non igitur *de virtute in*
Psal. 83. *virtutem* anima crescat, *Deo virtutum* tam arctè adhærens & coniuncta? Quid, ô Deus bone, aliud sum, quàm arida quædam arbor, omni carens fructu, eradicata, emortua? at si tuam miseriæ meæ bonitatem applicueris, in cordis mei terra flores progerminaturos, & è floribus his fructus enascituros spero.
Num. 17. Arida Aaronis virga mox, vt arcæ testamenti est imposita, & floruit, & fronduit, & fructum tulit: ecquod igitur non floreat ac fructificet cor, vero arcæ noui testamenti manna degustato?

4. Reg. 13. Si ossibus Elisæi contactis eam potentissimus Deus dederit vim, vt mortuum vitæ restituere potuerint; sic tametsi meam peccati mors animam occupasset, semper nihilominus sperarem, illam, modò commissorum me pœniteat, per viuam & viuificantem Sal-
Ioan. 6. uatoris nostri carnem vitæ denuo restitutum iri. Per illam siquidem vera in nos venit vita: & ad montis
Exod. 32. sacræ huius humanitatis radicem omnis lex rigoris confringitur, quò misericordiæ detur locus.

Psal. 98. *Adoro* supplex, Deus meus, *scabellum pedum* tuorum; pedum inquam illorum, qui, vt olim pœnitenti Magdalenæ, meorum sint malorum asylum, ac mise-
Psal. 142. riarum refugium. *Anima* mea sine te *sicut terra sine aqua*: hanc illa irriga aqua, quæ vnà cum sanguine quàm copiosissimè ex aperto latere tuo prorumpit.
Exod. 34. *Loquere*, obsecro, ô vere Moyses, sub speciebus, quæ tuum quidem oculis meis conspectum, sed non caram præsentiam suffurantur, velate, ad cor meum
Iere. 29. *verba pacis*, *cogita* super ipsum *cogitationes* amoris, *& non afflictionis.*

Fidei te oculis humilitatis tuæ throno in veneran-
Matt. 2. do hoc Sacramento insidentem contemplor, non secùs atque te olim Magi in præsepio non iam fulmi-
Exod. 19. nantem, vt olim in monte Sina; neque in throno illo
Apoc. 4. Apocalyptico, è quo fulgura & tonitrua promicant; non

non in throno eburneo, quali insedit Salomon; non in aureo, qualis Assueri fuisse perhibetur; sed in throno, qualis Agnum decet, ante cuius pedes suas victores coronas deponunt; & quasi in *throno gratiæ* tuæ, *ad* quem *cum fiducia accedere* debemus, vtpote qui clemens potiùs propitiatorium est, quàm rigidum tribunal. 3. *Reg.* 10. *Esth.* 1. *Apoc.* 4. *Hebr.* 4.

Sed perpendite quæso, dilectissimi, potentiam, quam habere debet oratio huic Sacramento iuncta, cùm in eo contineatur, qui factus est *propitiatio pro peccatis nostris*, quique *semper pro* personæ suæ *reuerentia exauditur. Pete*, aiebat matri suæ Bersabeæ Salomon, *mater mea: neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Quid porrò tali filio Pater æternus deneget? Si *quidquid in nomine* eius *petierimus*, simus, iuxta diuinæ sponsionem promissionis, impetraturi; quid non obtinebimus, cùm id in ipso & per ipsum rogabimus? 1. *Ioan.* 2. *Hebr.* 5. 3. *Reg.* 2. *Ioan.* 15.

Si Moabitarum Rex obsidione hostili ad extrema redactus filium suum in vallo vrbis immolans, ab eadem sese liberauit; à qua non inimicorum tam visibilium quàm inuisibilium oppressione ac potentia, per incruentum filij Dei sacrificium in sancto altari oblatum, *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo* infidelitatis *deseruiunt*, ipsi liberabimur? 4. *Reg.* 3. *Hebr.* 13.

Si Thecuitis & Abigail iustas Dauidis iras apta delinire oratione potuêre, quantò potentiùs animarum nostrarum Saluator Patris sui cælestis, ob iniquitates nostras exacerbati iratique indignationes, placare & componere poterit? 2. *Reg.* 14. 1. *Reg.* 25.

Cecinit olim Psaltes; *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui*: sed hæc inuertendo verba, an non etiam post sacram communionem humiliter dimisseque dicere nos fas est, Propter Christum tuum, Domine, quem modò corde nostro gestamus, ne auertas, quæsumus, faciem *Psal.* 131.

tuam à malis noſtris,ſed in nomine eius ſaluos nos fac.

Gen. 33. Meliorem commodioremque truculentæ fratris ſui Eſau iræ leniendæ rationem Iacob non inuenit, quàm formoſam Rachelem,atque amabilem Ioſeph eius in occurſum emittendo : qui ita rara illius eſt venuſtate, & huius ſuauitate morumque comitate victus, vt eos intuitus & contemplatus,omne erga fratrem odium depoſuerit , ſiniſtra machinamenta abiecerit, & fraterno ſe ſubijciens nutui, inque illius ruens amplexus,ex corde ſit lacrymatus, ac pace cum ipſo inita,in partem hæreditatis ſuæ benignè

Pſal. 94. ſatis illum admiſerit. *Terrâ v uentium*, & hæreditatis patris noſtri cæleſtis ſorte peccatum nos ſæpè ſæpiùs excluſerit, atque *in ira* ſua nobis Deus, viſo ſuam inſigni cum peruicacia à nobis legem proculcari,iurarit,quòd illius *in requiem non introibimus*; ſi tamen pœnitentia,velut noua quædam Rachel,illius oculis occurrerit,quam mox feruida ſequatur com-

Pſal. 76. munio,(in qua myſticus Ioſeph præſens adeſt)*continere miſericordiam ſuam in ira ſua* non poteſt, ſemperque illius benignitas rigorem ſuperat, & commiſeratio anteit iudicium.

Tigris,animalium omnium truculentiſſimum, etiamſi ad naturalem feritatem extraordinarius quidam furor acceſſerit,ſuam tamen rabiem ponit, agnum ſi oculis eius obieceris. Sit Dei dextera tam grauis quàm cùm maximè, & fulminibus etiam pluri-

Pſal. 78. mis obarmata,*zelus* eius *accenſus ſit velut ignis*, affe-

Apoc.1. ctionum *e us pedes in camino ardenti* appareant, ſexcenta mala pœnæ aduerſus mala noſtra culpæ intentet; ſi tamen *agnus,qui tollit peccata mundi*, illi præſentetur,manſueſcit ac mitigatur, omnemque acceptam obliuiſcitur iniuriam.

Meminerimus itaque,dilectiſſimi fratres,ſi quando ſacri huius myſterij, in quo verus,non typicus, Paſchalis nobis agnus diſtribuitur,participes facti ſumus,magno quodam cum feruore preces noſtras

inge-

ingeminare, eas, quæ nobis maximè necessariæ sunt, gratias à Patre æterno, in dilecti filij eius nomine petendo: sed *postulemus* magna cum *fide, nihil hæsitantes*; cùm promissionis huius diuinæ vadem ac fideiussorem in nobis ipsi habeamus, qui nos vltrò, vti aliquid petamus, exstimulat & inuitat, spem nobis etiam faciés, quæ debita ratione poposcerimus, haud-dubiè ea nobis concessum iri. *Iacob. 1.*

Hactenus audistis vnionis Eucharisticæ 1. soliditatem, 2. suauitatem, 3. potentiam. Vtinam tam ea in animis nostris arcta & intima reperiatur, fratres, vt nihil *nos à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, separare* queat! sit ipse in sæcula sæculorum benedictus. Amen. *Rom. 8.*

FERIA II. INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

De robore, quod in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento sumentibus communicatur.

HOMILIA V.

Qui manducat me, ipse viuet propter me. Ioan. 6.

QVAM potens fuerit oportet fortitudo, quàm violentus impetus, quàm rapidus lapilli illius motus, qui de summo montis cuiusdam alti vertice nullo humanæ manus adminiculo reuulsus, ad imam eiusdem radicem delapsus, luteos vasti illius colossi è tot metalli generibus conflati, quem in somnis Babylonis rex vidit, pedes impete tam vehementi concussit, vt non modò pedes hos & podium in primæuam pulueris, è quo conflata erât, mate- *Dan. 2.*

materiam redigeret, verùm etiam ingentem hanc molem subuertendo, in minutissimum eã in ipsa illius ad terram deiectione cinerem, venti ludibrium, quin imò aëris euanescentiam conuerteret. Sic miraculi huius operator Deus per infirmum gaudet subuertere fortiorem, ac magnitudinem per humilitatẽ,
1. Cor. 1. & omne per nihilum destruere, vt *sapientiam sapientium confunderet*, & potentiam fortium eneruaret.
1. Ioan. 2. Colossus hic, dilecti in Domino fratres, imago mũdi est, cuius *figura transit, & concupiscentia*. Illius porrò concupiscentia triplex est, vt sanctus Ioannes asserit, vel *superbia vitæ*, id scilicet est caput aureum; vel cupiditas opum; sunt hæ brachia ac pectus argenteum, vel *concupiscentia carnis*; venter inquam, ac ti-
Iacob. 3. biæ æreæ; quæ omnia basi luteæ ac fictili inædificata
Phil. 3. sunt: vniuersa siquidem hæc nonnisi *sapientia terrena* sunt, quæ nonnisi de terrenis loquitur, *ventrem* vt
Psal. 4. *Deum* adorat, aurum vt numen colit, *diligit vanitatem, & quærit mendacium*. Omnia porrò nonnisi
Psal. 75. *somnium* sunt. Vnde Psalmographus: *Dormierunt*
Psal 72. *somnum suum viri diuitiarum*, & somno excitati *nihil inuenerunt in manibus suis: ad nihilum imagines ipsorum rediges, Domine, velut somnia surgentium*. Hæc tamen moles & apparatus mundanorum carnalium oculis magna & speciosa apparent: sed spirituales piasq; animas exiguo quodam lapillo Deus instruxit, *lapis autem* hic *Christus est* in sacrosancta præsens Eucharistia; qui è summo cælorum vertice in fideliũ delabens animas, potens cõfusionis imperium, quod metallorum suorum coaceruatione ibidem constabilire cacodæmon conaretur, in ijs euertit & exterminat. Tu verò, sanctissima Virgo, quæ sublimis ille
Psal. 73. *mons Sion* es, *in quo habitat* Altissimus, & è quo lapis hic sine vlla humana opera decisus est & auulsus,
Psal. 86. cuiusque *in montibus sanctis fundamenta* posita sunt,
Psal. 67. quæque *mons Dei* es, *mons pinguis* & fertilis, diuinarum in humanitatis nostræ conuallem gratiarũ adipem demitte ac destilla. *Aue Maria*.

Hoc

Hoc igitur robur sanctissima Eucharistia animabus nostris communicat, auditores; atque hoc præsentis erit homiliæ argumentum, in qua 1. dispiciemus, ecquod illa aduersus iuratos sanctæ Ecclesiæ inimicos nobis robur elargiatur, 2. quod contra propriarum concupiscentiarum motus, 3. denique ecquod in Deum ipsum, cùm nimirum adorationes & supplicationes nostras cum diuinissimi huius mysterij participatione coniungimus. Singula ordine quæque suo membra percurramus. I.

Et dicamus solere videlicet Deum maxima minimorum adminiculo opera perficere. Decernit Madianitas, qui vniuersam terræ superficiem copiarum Iudic. 7. suarum ac bellatorum multitudine debellaturi videbantur, exscindere; sed hanc propriæ Israelitas fortitudini ac generositati victoriam non vult attribuere. Ecce enim ex ingenti illo Israelitarum numero dena dumtaxat millia (pusilla sanè & perangusta manus) Gedeoni adhærent; quin imò etiam hos nimis quàm multos esse ratus Deus, qui *saluare* potest 1. Reg. 14. & vincere tam *in paucis* quàm *in multis*, Gedeoni ait, *Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas: qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum; qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt*; quorum illos mihi sequestraui, hos verò inutiles censeo. Priorum autem numerus fuêre tantùm viri trecenti. Tum Dominus ad Gedeonem: *In trecentis* his *viris liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* prima ergo noctis vigilia *surge & descende in castra Madian subter in valle* versus aquilonem castra metantiũ. *Sin autẽ solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Descendit ergo ipse & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ. Madian autem & Amalec fusi iacebant in valle vt locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ iacet in littore maris. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo,*

& in

& in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somniũ, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cumq; peruenisset ad tabernaculum, percussit illud atq; subuertit, & terræ funditus coæquauit. Quibus auditis alter ilico subintulit, *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, tradidit enim Dominus in manus eius Madian & omnia castra eius.* An non, dilectissimi, somnij huius veritatem in diuinissima expressam Eucharistia videtis? an non ipsa panis est è puro confectus tritico, ac *libum* illud
Psal. 71. *subcinericium*, *firmamentum* hoc in terra, *in summis montibus* elatum, vel, vt alia quædam præfert interpretatio, *panis* ille *totus orbicularis*, *super sacerdotum eleuatus capita*; *panis* ille *viuus*, è summo *cæli* vertice *descendens*, cùm eum in se complectatur, qui *sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*? Porrò mundus, caro, & dæmon plurimos tentationum in huius mundi valle importunis Septemtrionis turbinibus obnoxia cuneos opponant, & quolibet modo insurgant; modò ad salutarem hunc panem confugiamus, *gladium* in eo cùm *Dei*, tum *Gedeonis* reperiemus, quo quotquot aduersarij nos in terram promissionis tendentes impedire atque oppugnare velint, expugnabimus ac conficiemus.

At nondum hîc finis; iubet ad hæc Deus, vt trecenti illi, quos ad generosam ac virilem hanc expeditionem Gedeon selegit, propria ponant arma ac tela, quò ipsorum redderetur victoria illustrior: atque hoc illos modo armari vult. Alteram manuum lagena obarmarent fictili, quæ ardentem intus contineret lampadem; altera verò tubam sumerent. Quibus deinde Gedeon ait, *Quod me facere videritis, hoc facite.* Primus igitur ipse hostile perrumpit vallum, quem trecenti illi bellatores mox secuti, eodem armati ritu; lagenam ipse suam confringit, & commilitones suam, è quibus per densas noctis tenebras lampades accensæ emicabant; suam duce tubam inflante inflant & alij; clamanti ipsi, *Gladius Domini &*

Gedeo-

Gedeonis, cùm reliqui idem ſucclamando reſpondiſſent, omnia circum loca terrificis vocibus his perſonuêre. Conſternatur igitur hoſtis, & ſubitò panico quodam pauore Madian & Amalec correpti, mutua in ſe inuicem ſæuiunt nece; alij alios fugiendo premere, alij præcipites è montium crepidinibus ruere, quidam vndis hauriri, denique ne vnus quidem viuus ſupereſſe. Hem notabile ac perilluſtre ſtratagema: ad quod Dei concurrens digitus inæſtimabilem ſuis incomparabilemque parit victoriam. Videtiſne inſuper ſub figuræ huius vmbris à diuini *eloquij*, (quod eſt *lucerna pedibus* noſtris) lampade illuſtratis *Pſal. 118.*
eandem ſtragem ac infortunium, quod diuiniſſima Euchariſtia Nouatorum agminibus ab Eccleſia ſequeſtratis immittit, interim ſcilicet, dũ in humanarum rationum vallibus, ad magni illius montis ſuperbiæ ac *vanitatis ſenſuum ſuorum* radicẽ dormiunt, *Epheſ. 4.*
idque ſub opinionum propriarum papilionibus; qui quamuis inter ſe & ab inuicem, non minùs, imò magis ſeparati ſunt, quàm Madianitæ & Amalecitæ, ad ſponſam tamen Domini oppugnandam, & *aduerſus Chriſtum eius* inſurgendum, vt illam benedictæ corporis ſponſi ſui terræ, terræ inquam diuinarum gratiarum lacte ac melle manantis poſſeſſione deturbent, vnitiſſimi ſunt. Videte enim, vt, noſtro Gedeone (Ieſus enim *ſempiternum ſacerdotium habet*, & *eſt ſacerdos in æternum*) alijs ſacerdotibus (quos ceu commilites in Eccleſia ſua militante ac ſacrificatores cõſtituit) comitãtibus, fictile ſanctarum ſpecierum vas in manus capiente, & glorioſi corporis ſui lumen intra ipſum abſcondente, ac deinde veneranda illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, inſonante, quæ numero hiſce, *Gladius Domini & Gedeonis*, ſunt paria; videte inquam, vt omnis hæreticorum acies commota trepidet ac percellatur. illorum enim nonnemo ſignificat, quòd libenter quidem huic veritati contradicere ac refragari vellet, (eſt is Proteſtantium omniũ pater & auctor) at quod verborum horum perſpi-

Pſal. 2. *Hebr. 7.* *Pſal. 109.*

cuitate

cuitate retineatur ac conuincatur; alius figuratiuas adinuenit interpretationes;alius in tropicos distortosq; se præcipitat sensus; alius ad loca minùs clara confugit & obscuriora; hic implicando se inuoluit ambagibus;vnus hîc confitetur,alibi diffitetur alter:
2.Tim.3. porrò omnes aberrant ad *veritatis scientiam peruenire* non valentes. Lepidum videre est, quã inuicem destruant ac deuorent,in tenebris & obnubilato vultu, Andabatarum ritu depugnantes. Doctissimus ille vir
Repetit. de Eucharist. Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis, quem honoris causa eò nomino libentiùs, tũ quòd illi sanguine sum iunctus,tũ quòd inter primos,qui de hac materia Eucharistica sæculo nostro scripsêre, auctores referendus est; iam ab hinc triginta & amplius annis suis in Repetitionibus octoginta quatuor,& eas quidẽ falsas omnes,& inter se discrepantes, quoad hæc verba, *Hoc est corpus meum*, tubis sonãtiora, & Gedeonicis lampadibus clariora, collegit opiniones. Verissimũ igitur illud, mille esse à scopo aberrãdi vias, vna dumtaxat ipsum tangi. Vos porrò Catholici hoc è stratagemate etiam discetis, cũ hæretici, ceu importunæ quædam locustæ, vos naturalium ratiuncularum multitudine obruent, diuini verbi lampadem oculis ipsorum obijcere, & ipsorum auribus alta voce inclamare, dixit Deus, *Hoc est corpus meũ*; ac videbitis omnes illorum tenebras & vmbras ad
Psal.67. primum solis huius conspectum effugatum iri. *Exurgat* igitur Deus, *& dissipẽtur inimici eius, & qui* illius *odêre* præsentiam, *fugiant à facie eius.*

1.Reg.17. Si gigas aliquis Israeliticis castris insultans minimo se Catholico obijciat, necesse eum sibi non est arma Saulis circumcingere, & ad humanas scientias confugere, quò se ab aduersario expediat; quinq; dũtaxat hosce in manum lapillos accipiat, *Hoc est enim corpus meum*; ac videbitis montes hosce carneos, rationes illas à carne & sanguine dictatas ad terrã protinus concidere, & Goliadas illos suis ipsorum iugulari gladijs; cùm se nimirum verborum Diuinorum (quibus

quibus nihil non deferre videntur, vt subuertant omnia) terminis, prout sonant, mordicus adhærere compulsos videbunt. Igitur, ceu cataphracti quidã equites, *inanis* artificijs *philosophiæ* & naturalibus in speciem fortibus argumentis armati in aciem & arenam descendant; nos qui *in nomine Dei exercituum venimus*, eos formidare non debemus: stamus enim *super solidam petram*, in quam qui impingunt, diffringuntur; ad quam qui offendunt, illiduntur & pereunt. Veniant cæcutientes illi Aegyptij, & confidant *in equis & curribus*, ac suo in apparatu ritè instructo & adornato; *nos autem* speramus *in nomine Domini*. Rubro illos mari, sanguine tuo rubricanti, immerge Domine; præsta vt errori suo moriantur, quò gratiæ tuæ reuiuiscant, & è leonibus aduersus veritatem acriter rugientibus mites mansuetique fiant agni; leonina in illis natura suffocetur, vti Samson leonem elisis faucibus oppressit, quò in societate ac cœtu fidelium eos, salutari quadam pœnitentia bene mortificatos, & melliti corporis tui pretiosi faui participes factos, videre nobis liceat.

Coloss. 2. Eccl. 26. Psal. 19. Exod. 14. Iud. 14.

Quippe per lenem hanc vim, per voluntariam hanc violentiam, fratres, hominum mentes ad veritatis volunt cognitionem allici ac vocari; quamobrem, ad Israelitarum illorum Gedeonis commilitonum exemplum, *carnalia* & materialia *arma*, *arma* inquam *tenebrarum*, sanguinis & confusionis *abijciamus*, quò *induamur arma* spiritualia *lucis*; *sumamus gladium spiritus, quod est verbum Dei*, ipsum *quasi tubam exaltemus*, & velut *lucernam in loco caliginoso* collucere faciamus; ipsum sit *colũna* illa *ignea*, quæ nos in terrestri hac obscuraq; nocte deducat; & ignis è spinoso difficilis & incomprehensibilis huius mysterij rhamno promicans, hosce *Libani cedros deuoret*, superbas inquam hasce mentes; quæ *lucem* hanc *inaccessibilem* penetrare cupientes eam

2. Cor. 10. Rom 13. Ephes. 6. Isaiæ 58. 2. Pet. 1. Exod. 14. Iud. 9. 1. Tim. 6.

eam tamen comprehendere non valentes (vtpote
Iudæ v. 10. humilitatis & fidei oculis destituti,) *quæcumq; ignorant, blasphemant.*

Nos verò firmiter immobiliterque sanctis hisce
Ierem. 15. verbis, illo egressis ore, quod quæcumque vult potest; & quæ dicit, vult, adhæreamus, hæcque *murus* nobis sint *æreus*. Sinamus ad raucedinem vsque eos contra argenteum illud horum verborum, luna clariorum, speculum allatrare; sinamus eos, ceu nocturnas quasdam aues, aduersus has die ipso splendidiores voces vlulare; sinamus eos, quasi barbaros quosdam Abantas, friuolarum obiectiuncularum suarum tela in verba hæc sole manifestiora euibrare, tela inquam, quæ in ipsum eiaculantium caput denuo recidunt. possunt siquidem hæ sophismatum nebulæ fulgidam hanc veritatē, & adeò quidem robustam, vt omnes obiectiones eludat & cauillos, *ve-*
Psal. 116. *ritatem* denique diuinam, quæque *in æternum manet*, inobscurare, nullo tamen modo obruere vel exstinguere.

Secedente Redemptore Iesu cum benedicta matre sua ac glorioso nutritio in Aegyptum, quò efferatum sanguinarij Herodis furorem declinaret, idola, quibus regio illa omnis abundabat, ad vnum omnia comminuta corruerunt. Prædixerat id multò antè
Isaia 19. tempore Propheta, *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius.* Tanta scilicet est Domini præsentis potentia. Cùm verò idem ipse in Eucharistia præsens adsit, minimè dubitandum est, quin Ecclesiæ ipse suæ (in cuius brachijs hoc in Sacramento agit, non secùs ac maternis gestabatur, dum erat puer) aduersus hæreseos, quæ opinionum suarum idola (sunt enim hæ, ceu spiritualia quædam simulacra, multò lapideis aut æreis damnosiora; quæ quò stupidiores sunt, eò euersu faciliores, vt egregiè & ad liquidum ostendit inter Galliæ nostræ Scriptores haud postremus, qui sub nominis Iesu militat insignibus,

Ludo-

Ludouicus Richeomius) colit, Aegyptum fit vires daturus. *Libro de idololatria Hugonott.*

Quid? si solus tubarum sacerdotalium sonus, accedente Dei ope & subsidio, Ierichuntis (id est, Lunæ) Israelitarum iter remorari satagentis, muros prostrauit, ac solo deiecit; credamusne hereticos tam inexpugnabile & solidum obstinationis circum cor habere vallum, vt id tandem ad potentium horum verborum, *Hoc est corpus meum*, sonum strepitumque minimè deijciatur? si immanem illam lictorum ac ministrorum, qui ad se comprehendendum in hortum venerant, manum, dicendo dumtaxat *ego sum*, ad terram prostrauit; quomodo Ecclesiæ hæretici aduersarij resistant, quando adorando hoc Sacramento armata illis oggeret, Hic est sponsus meus, hæc *salutaris* est *hostia*, quæ aduersus omnigenos insultus, *& bella prementia hostilia robur dat & auxilium.* *Iosu. 6.* *Ioan. 18.*

Sic legimus, gloriosam illam virginem Claram, ordinis S. Francisci, cùm Assisium ab Saracenis obsessum iam iam expugnandum euertendumque videretur, magna quadam alacritate ac feruore sanctissimum altaris Sacramentum in vlnis sumpsisse: cumque ipsum gestando vrbis suæ mœnia ambiret, hunc versiculum cantando, *Ne tradas bestijs, Domine, animas confitentium* nomini tuo; pari quo olim Madianitæ terrore ac pauore consternatos barbaros, in fugam se coniecisse, ac suiipsorum exitij causam exstitisse. *Vita c. 14* *Psal. 73.*

Aquitaniæ Dux Gulielmus cùm nullo rationum argumentorumque à S. Bernardo productorum pondere ac numero ad officium reduci potuisset, & videns ille zelus, quo pius hic Præsul violentum illius in Ecclesiastica iura iniuriam coarguebat, in cassum recideret; ecce tandem Bernardus, diuinitus inspiratus, ad extremum hoc remedium confugit, & diuinissimo hoc Sacramento coràm prolato peruicacem illius animum, ceu telo omnium potentissimo expugna-

pugnare constituit. quod vt primùm Dux conspexit,
Dan. 9. confestim agnouit, verè *terribilem* hunc *Deum* esse,
Psal. 75. qui *aufert spiritum principum*. momento enim *in a-*
1. Reg. 10. *lium mutatur virum*, in terram prosternitur, suumque procreatorem veneratus, aliam vitæ se rationem initurum spopondit: quam etiam deinde Ecclesia omnis non minori cum admiratione quàm ædificatione omnium conspexit. Mundi quippe delicias ac pompas proculcans, eremiticæ ac solitariæ vitæ se dedit, nouique instituti monastici & parens fuit & fundator, tam seuerè pristinam contumaciam puniens, vt admirationi potiùs, quàm exemplo seruiant & imitationi. An non *hæc mutatio dextræ*
Psal. 76. *Excelsi?*.

II. Si tantam Ecclesia aduersus aduersarios suos ab Eucharistia fortitudinem accipit; minimè est ambigendum, quin eamdem ipsa animabus aduersus hostes domesticos, effrænes inquam indomitasque passiones, potentiam subministret ac constantiam. Quod cùm pius notaret obseruaretque Bernardus, fratres suos commonet, vt omnem in vitijs proprijs expugnandis profectum diuinorum horum mysteriorum participationi attribuerent: *Si tentationes*, inquit, *impetant infrequentiùs, si concupiscentiæ oppugnent impotentiùs, si noxiæ cupiditates paulatim exstinguantur, si vindicta emoriatur, si libido paulatim frigescat; si virtus è contrà in pretio esse, pia exercitia placere vobis incipiant; totidem hæc sacri ac cælestis panis huius effectus esse creditote.*

Hom. 61. ad popul. Antioch. *Ab hac mensa*, inquit Chrysostomus, *tanquam leones ignem naribus efflantes, recedamus, diabolo ipsi facti terribiles.* & è terræ huius benedictæ contactu vegetiores valentioresque, quàm olim Antæus ille cum Hercule decertans, de quo meminêre fabulæ, resurgimus.

Quo loco Vulgata communisque lectio apud
Psal. 77. Psalmographum præfert, *Panem Angelorum manducauit*

ducauit homo, alius interpres habet, *panem fortium ac valentium*. Hic quippe *panis supersubstantialis* angeli- *Matt. 6.* cum quemdam nobis vigorem communicat. quantam verò Angelorum esse potentiam ac robur existimatis? incredibilem profectò. Vnus enim eorum solummodo nocte vna omnes Aegypti enecat primo- *Exod. 13.* genitos: alius etiam sacrilegum ac scelestum Heliodorum tam immaniter acriterq; flagris cædit, vt tan- *2. Mach. 3.* tùm non exanimis à suis subleuaretur: alius etiam in castris Sennacherib innumeros nocte vna bellatores confecit ac trucidauit: Denique vno dumtaxat *Isaiæ 34.* opus est Angelo ad vniuersos cælorum orbes gyrandos & impellendos, quanto ergo minori is negotio hanc terræ molem subuerteret?

Hîc ergo nostra *turris* est *Dauid*, nostra *turris fortitudinis à facie inimici*; nostrum quoque armamen- *Cant. 4.* *Psal. 60.* tarium omnigenis instructum armis, ad impetitores nostros & hostes cùm visibiles, tum alios sub aspectum non cadentes expugnandos: *panis* hic *cor* nostrum *confirmat*, *vinum* hoc interiora nostra *lætifi-* *Psal 103.* *cat. Diligam te Domine*; tu es enim *fortitudo mea*, *ac* *Psal. 17.* *firmamentum*: *in virtute tua* Domine *confirmabitur* *Psal. 73.* omnis homo: tu es Domine *fortitudo mea*, & *salus* *Psal. 26.* *mea*, *protector vitæ meæ*, ac *laus mea*, canit Propheta *Psal. 117.* Regius.

Vndenam putatis primigenios ac primitiuos illos Christianos tantam in fide constantiam & in eadem confitenda animositatem ac generositatem præ se tulisse, vt nonnisi ad sanguine eam suo testandum aspirarent? non aliunde scilicet, quàm frequenti Sacramenti huius fortitudinis vsurpatione. *Si ambula-* *Psal. 22.* *uero in medio vmbræ mortis*, aiebat Psaltes de hoc mysterio in spiritu prophetico agens, *non timebo mala, quoniam tu mecum es: parasti in conspectu meo*, Domine, *mensam aduersus eos qui tribulant me.*

Ipsum est *cornu salutis*, quod *in Dauid domo* Deus *Luc. 1.* *erexit*; cornu scilicet abundantiæ ac copiæ. Est nâque

gratiarum omnium complementum, ficut hefterna à
Pfal. 111. me die vobis pluribus eft demonftratum; *cornu iufti*
Pfal. 91. *exaltatum in gloria; cornu vnicornis*, præfentiffimum
aduerfus venenum alexipharmacum, & cornu foli-
Habac. 3. dum ac conftantiæ, in quo omnis noftra *abfcondita eft fortitudo.*

Ipfum, gladius eft victoriæ noftræ in fanctarum
1. Reg 22. fpecierum Ephod inuolutus; gladius inquam, qui
mortem infert morti, nobifque vitam fofpitat & incolumem conferuat. *Qui me manducat*, ait Dominus
Ioan. 6. in Euangelio, *ipfe viuet propter me.*

Liuius lib. 1. Clypeos habebant Romani, ancilia dictos, quos cælo credebant delapfos, à quorum conferuatione & incolumitate omnem reip. fuæ falutem ac robur dependere exiftimabant. Mera hæc erat fuperftitio: fed verè ipfi religiofeque credimus, à Venerabili Eucharistia, velut à cælefti quodam fcuto ac parma, omne animarum noftrarum fubfidium ac protectionem dependere, animarum inquam *fub Domini pen-*
Pfal. 90. *nis fperantium*, & quas *fcuto circumdat veritas, eius à timore nocturno* feculi huius, & tentationibus, quæ funt quafi *fagittæ volantes in die, & negotia perambulantia in tenebris, & incurfus dæmonij meridiani.*

In Sacramenti porrò huius vfu omnis vigor nofter
Iud 15. fpiritualis confiftit, vti olim corporale Samfonis robufti robur in crinibus; adeò vt, ad illius exemplum, & portas Gazæ auferre, & omnia obftacula
Pfal. 17. perfringere poffimus, Regio cum vate dicentes, *In Deo meo tranfgrediar murum*: Philifthæos item pro-
Pfal. 26. fligare; ac pergere dicendo; *Si confiftant aduerfum me caftra, non timebit cor meum*: nec non omnium difficultatum leones fuffocare, & cum eodem Pro-
Pfal. 90. pheta vlteriùs canere; *Super afpidem & bafilifcum ambulabo, & conculcabo leonem & draconem.* Et ficut generofus ille Samfon poft conflictum in arido offe aquæ viuæ fcaturiginem reperit, ita nos fub fpe-
Cant. 4. cierum facramentalium apparentia venam *aqua-*
Ioan. 6. *rum viuentium*, & *fontem falientem in vitam æternam* reperire

reperire possumus, nec non petram, quæ *aquas in* *Num.* 20.
mundi huius *deserto* fluit.

Hîc item floridam veri Aaronis virgam, manna *Num.* 17.
corroborans, panem Eliæ nos in deserto sustentan- 3 *Reg* 19
tem, prodigiosam Mosis virgam, baculum, qui Iacobo *Exod* 7.
Iordanem transeunti fulcri & scipionis erat loco, in- *Gen* 32.
ueniemus: hoc namque mysterium est, quod Dauid
præsignabat, dum canit, *Virga tua & baculus tuus ipsa* *Psal.* 22.
me consolata sunt.

Qui scyticam herbam ore gestant, tam suauem inde emanantem odorem percipiunt, vt exinde sitire nequeant. An non Samaritanæ Dominus aiebat, habere se *aquam, quam qui biberet, non sititurus esset in* *Ioan.* 4.
æternum? Ingens ex frutice, cui agnus castus nomen, fascis non minùs grauat gestantem, quàm fasciculus alius exiguus, idque occulta quadam virtute inde emanante, quæ corroborat & vegetat illum, à quo gestatur. Dicuntur item, qui ingentes cinnamomi fasces ex Arabia humeris deferunt, ita eiusdem suaui fragrantia vigorari & animari, vt si vel dimidium ex alia quapiam materia pondus gestarent, prorsus defatigarentur. Quantò maius ac potentius verus Agnus castus, corpus scilicet Iesu Christi, quod verum est *balsamum, & cinnamomum aromatizans*, ge- *Eccl.* 24.
nerosæ cuidam menti robur, ad omnes vitæ huius labores, & molestissimarum tribulationum incommoda toleranda communicat?

Hoc igitur, fratres, *ciuitas* nostra *refugij* in perse- *Ios.* 21.
cutionibus, in procellosis sæculi huius naufragijs tabula, denique in tentationum insultibus ara sit, & cum illo apud Poëtam dicamus,

Tango aras, numenq́; Dei venerabile adoro.

Vel sanctiori quadam phrasi, *Domine vim patior, re-* *Isaiæ* 38.
sponde pro me.

Vel cum amante Sunamitide, *Teneo* dilectum III.
meum, *non dimittam eum*, ne quidem instar Iacob, *Cant.* 3.
ad illius benedictionem recipiendam; neque enim *Gen.* 32.
tam benedictionem quærit illa, quàm Deum benedi-

 ctio-

ctionis: & quamuis benedictio eius pretiosum quoddam sit pignus, & locuples amoris eius argumentum, non id tamen signum ipsa ambit, sed ipsummet
Cant.1. amorem, qui nonnisi *in osculi oris* dilecti sui vnione, & in carissimis vberibus eius exsugendis potest conquiescere. Cui si semel ita cum illo coniungi & vniri detur, videtisne vt per tenerrimas suas suaui-
Cant.3. tates, *per capreas* inquam *hinnulosq́, ceruorum* iuret, posthac illum amplius se non derelicturam?

Percipitisne, auditores, imperceptibiliter sensimque sine sensu ad tertium homiliæ nostræ punctum nos deuolutos esse; quo robur me ac potentiam promiseram declaraturum, quam aduersus ipsummet Deum, in quantum *flectitur iratus voce rogante Deus*, à venerando hoc Sacramento accipimus, præsertim
Matt.17. si hæc oratio cum *filij* eius *dilecti, in quo* ipsi *bene com-*
1.Ioan.2. *placet*, quique noster est *aduocatus* & mediator, quique *apud Patrem*, non minùs quàm *Spiritus* sanctus,
Rom.8. *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, corpore coniungatur? Porrò quomodo ipse superari expu-
Exod.15. gnarique potest Deus? *quis* enim ei *similis in fortibus*
Gen.32. ac fortitudine? Notate. Nocte integra Iacob cum Deo, vt nonnullorum est opinio; vel, vt alij sentiunt, cum Angelo luctatur. vtrorumque verò opinio probabilis satis est. Angelum fuisse significare videtur
Osee 12. Oseas; Deum verò, ex ipsa Genesi colligi posse vide-
Gen.32. tur, cùm ipsum luctæ locum Iacob *visionem Dei* appellauit, & dixit, *Vidi Dominum facie ad faciem*; atq; imprimis id ipsa nominis eius in Israel, id est, *Deo praualens*, commutatio videtur insinuare. Quis porrò tantum illi robur dederat, vt ipsummet cogeret Deum sibi benedicere, nisi mysticus ille panis, de
Gen.28 quo, dum in Mesopotamiam abiret, dicebat: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum?*

Deus ergo, tametsi in sua potentia inuincibilis, misericordi tamen sua qua est benignitate, vincibilem se præstat. Sed quomodo? si per adorationes ac suppli-

supplicationes contra ipsum progrediamur. Non verò propositum mihi est, pluribus hanc adorationis Eucharisticę veritatem verbis confirmare, quam tam iniquè temporis nostri hæretici in controuersiam vocant, quàm realis est ab his corporis Christi præsentia inaniter impugnata. Satis nobis est, Catholici auditores, cùm Deum nostrum præsentem in hoc Sacramento adesse credamus, idque iuxta indubitabilium verborum ipsius claritatem, hîc eum adoremus, vt nimirum à fœda illa idololatriæ vel artolatriæ, quam contumeliosè ipsi nobis impingunt, calumnia nos vindicemus. Illis igitur iam sepositis, *Venite*, fratres carissimi, *& exultemus Domino* Deo nostro: *præoccupemus faciem eius in* salutari *confessione*, & *immolemus illi sacrificium laudis. Venite, adoremus & procidamus ante* thronum bonitatis eius, *ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Psal. 94. Psal. 49.

Adoremus Iosephum hunc, qui Aegypti mundi huius Saluator est: ipse *frater noster* est, *& caro nostra*; quem etsi nostris iniquitatibus, quæ nostra nequitia est, offenderimus, quàm æquissimo tamen nobis animo, quæcumq; in eum peccauimus, condonabit; quæ si corde contrito & humiliato agnoscamus, purum nobis frumentum ex horreis cælestibus impertiri, etiam gratis, non grauabitur; suæ insuper nos mensæ faciet accumbere, è suo nobis etiam propinabit scypho, denique præ cordis teneritudine ob conuersionem nostram in lacrymas quodammodo erumpet. Gen. 42.

Ipsum adorare & rogare cum ipso luctari est. Videte vt *Zebædiadum mater ad ipsum accedat adorans, & petens aliquid ab eo.* Videte quoque, vt Chananæa sancta quadam importunitate vrgens postulatorum fiat compos, vti & cæcus ille in via Ierichuntina. Matt. 20 Matt. 15. Matt. 20

Quid impedit, quò minùs ipsi, ceu Hæmorrhoissæ quædã, huc properemus, vt à tentationibus, quæ totidẽ quodãmodo carnis & sanguinis sunt fluxiones, Matt 9.

 non

non ſolo veſtimenti eius fimbriæ contactu, ſed per ipſiſſimi corporis eius, quod vnicum & præſentiſſimum eſt aduerſus omnes morbos noſtros medicamentum, receptionem perſanemur?

Gen. 27. *Gal. 3.* Quid obſtat, quò minùs non iam pelliculis hædorum contecti, ſed ipſummet *Chriſtum Ieſum induti* nos patri cæleſti ſiſtamus; quò omnium optimarum eius benedictionum, & *roris cæli & pinguedinis terræ* participes efficiamur?

Pſal. 131. Cur Cherubinos non imitamur, *arcam ſanctificationis* & bonitatis eius admirantes? vbinam, quæſo, raptus noſtros adhibebimus, vbinam in ſtuporem rapiemur, ſi hîc non obſtupeſcamus, vbi diuini amoris in hoc Sacramento exceſſum conſiderauerimus? Si non ea, qua par eſt, voce laudes eius decantare poſſimus, noſtro ſaltem illum laudemus ſilentio, non ſecùs ac Summus Pontifex ſancta ſanctorum cum thuribulo in ſummo ſilentio ingrediebatur. Satis ſcilicet loquemur, ſi ex animo eum diligamus; ſat alta voce clamabimus, ſi eum profunda quadam adoremus reuerentia.

Si Angelorum cantare ipſi Triſagion non poſſimus, ſaltem proſternere nos in faciem, ſicut viginti quatuor illi ſeniores, poſſumus, atque vnà cum illis
Apoc. 5. dicere, *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & laudem, & gloriam, & honorem, & benedictionem.*

Corda noſtra præ gaudio, ad exemplum ſcilicet
2. Reg. 6. pij illius Regis, ante hanc *ſalutis* noſtræ *arcam* exi-
Pſal. 98. liant. *Adoremus ſcabellum pedum eius, & locum vbi ſtat*
Pſal. 131. *pedes eius.* Dicamus cum ardenti feruidaque Magda-
Ioan. 20. *Ibid.* lena, *Rabboni*; cum S. Franciſco, *Deus meus & omnia*;
Matt. 14. cum S. Thoma, *Dominus meus & Deus meus*; cum Apoſtolo Petro, *Domine tu es, iube me venire ad te.* Si, prout oportet, haſce adorandi formulas adhibere
1. Pet. 5. poſſemus, & *humiliare nos ſub potenti manu Dei*, ad quantum nos ille culmen eueheret, quomodo *exaltaremur*?

Exem-

Exemplum illuſtriſſimum habemus in Habsbur- *Alber.*
genſi Comite Rudolpho antiqua illa inclytæ ac Se- *VVilde-*
reniſſimæ domus Auſtriacæ ſtirpe, qui quòd magna *manſtad.*
animi demiſſione Ven. Euchariſtiæ Sacramentum, *præfat. in*
(quod in via, dum ad ægri pauperculi domunculam *Pauli*
deferebatur, obuium habuit) comitatur, ad Impera- *epiſt.*
toriam pòſt fuit dignitatem mercedis loco euectus, *Chron.*
vt nouem antè annis ſancta quædam monialis pro- *antiq.*
phetico donata ſpiritu illi prædixerat. Vereor, vt *Sueu.*
nunc quidem ſunt tempora, ne mentes quædam tam *Matth.*
imbecilles, quàm delicatæ, quibus ipſum etiam man- *Galen.*
na nauſeam crearet, exemplum hoc vt non ſat ma- *Cat. 3.*
gnæ auctoritatis repudiaturæ ſint, perinde ac ſi al-
terius generis ac farinæ forent exempla Dauidis an- *2. Reg. 6.*
te arcam ſubſultantis, Heraclij Imp. crucem Domi-
nicam nudis pedibus deferentis, Conſtantini duo-
decim ſportas terra è Vaticani templi fundamentò
eruta repletas humero geſtantis, Magorum Orienta-
lium adorationis, Rebeccæ camelo ad ſuum adoran- *Matt. 2.*
dum Iſaac deſcendentis; quibus tamen exemplis ne- *Gen. 24.*
mo mortalium obtrectando aduerſatur. Atque hoc
obiter dico, dilectiſſimi, quia quàm maximè mihi
diſplicet, quòd videam plurimos, ne deprauata hæc
palata irritētur, à multis bonis exemplis depromen-
dis ſtudio abſtinere; quorum tamen recitatio tum
pias mentes ædificaret, tum ſanctam fidem noſtram
haud parum confirmaret: quæ quòd communiora &
magis recepta ſunt, idcirco minùs videntur reci-
pienda; perinde ac ſi ab antiquitate plus rebus ipſis
accederet veritatis, & *brachium Domini* temporis *Iſaiæ 59.*
lapſu *abbreuiatum eſſet*; & illius decurtata detrita-
que potentia.

Vir quidam nobilis, vt ſcripto Cæſarius prodidit, *Lib. 9.*
egregiè ſplendideque veſtitus, cùm in Sanctiſſimum *c. 11.*
Euchariſtiæ Sacramentum, quod ad moribundum in
viaticum deferebatur, incidiſſet, & via admodum
cœnoſa; ſuo tamen more in genua ante ipſum pro-
uoluitur; & ecce nulla ab cœno macula veſtibus il-

 lius

lius adhæſit. Quid dicitis ad hoc delicatula palata? anne Cæſarius modicæ veſtræ fidei firmandæ ſufficiat? auctoritas forſan illius mentiū veſtrarum duritiei fragilis nimis & imbecilla videatur. Sed planè aliter equidem ſentio: ipſa enim pro mētium veſtrarū, quæ ceu oculi imbecilliores ad nimij luminis fulgorem conniuent, imbecillitate nimis mihi dura videtur & ſolida. Sed quid? non creditis Iſraelitarum quadraginta ipſis, quibus in deſerto fuêre, annis veſtes minimè detritas fuiſſe? imò (quod duplex miraculum inuoluit) puerorum veſtimenta vnà cum corporis ſtatura accreuiſſe? An non manifeſtè videtis à fornacis flammis trium puerorum in eamdem coniectorum veſtes nullum detrimentum accepiſſe? Adeſte, ac mihi dicite, Deóne difficilius fuerit, veſtem à luto quàm à detritura & à flammis immunem præſtare? Bene quidem, dicetis; ſed diuerſa illorum auctoritas eſt, eadem tamen diuinitas. Dicite potiùs, quòd credatis, quod allubuerit, non verò quod diſplicet. Sed animæ piæ ac docili nihil eſt creditu difficile, quando id ab Dei prouenit omnipotétia, & ad gloriam eius promouendam, & amorem ipſius in cordibus noſtris adaugendum ſpectat.

Deut. 29

Dan. 3.

Diſcip. in prompt. Exēplor.

Sed non propterea ipſi ab exemplis referendis deterreamur. Quidam indeuotus equo inſidens, cū ſacro occurriſſet viatico, adeò non ipſum in terrā deſcendens veneratur, vt fixus equo inhæſerit: ſed iumentum, heri partes agens, ſupplex poplites incuruat, tā factum rationabile & humanum, quā dominus ſe brutum & rationis expertem oſtendebat. Quis refert hoc? quidam è ſacra Dominicanorum familia Doctor, qui qua erat humilitate, Diſcipulum ſe nominat. Si graue ac moleſtum ſit vobis, ô inſipidi & inſiceti, hocce miraculum credere, audite, quæſo, ſacrā Scripturam, quę Saluatorem recèns natum à boue & aſino cognitum commemorat. Legite hiſtoriam de Balaam aſina. Sed potiùs naturam ipſam conſulite, & vi-

Matt. 2.

Num. 22.

& videte Camelos coram heris suis genua inflecten-tes; nec non elephantes solem orientem adorantes: & nolite posthac adeò stupidi esse, *& tardi corde ad credendum*. Hæc porrò vestra incredulitas ab indeuotionis frigiditatisque vestræ nascitur cruditate. Luc. 24.

Impudica quædam meretrix, cùm ante domum in sua nefarium ipsa quæstum corpore suo exercere solebat, Venerandam transire hostiam cerneret; repentina & ingenti quadam compunctione tacta, Dignarerisne, inquit, mi amantissime Sol, bonitatis tuæ radijs iniquitatum mearum sordes ac cœnum irradiare? indignæ huic creaturæ, quam in tantum te pœnitet offendisse, te, obsecro, misericordem exhibe. Quæ illa verba maxima cum intimi sensus significatione cùm proferret; ecce, quædam ex hierotheca vox egrediens, *Mulier*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua*. Idem qui suprà Discipulus memorabile hoc bonitatis summi Magistri exemplum narrat. Nónne hic, ô teneræ aures, easdem prorsus auditis circumstantias, quas pœnitentis Magdalenæ conuersio inuoluit; cùm par causa in pari subiecto parem producat effectum? Bonine Latronis historia multò vobis videtur facilior? sanè non mihi: tam enim in cruce sua medios inter dolores & opprobria Deus incognoscibilis erat, quàm hoc in Sacramento existat, in quo omnipotens eius verbum & viuum est & efficax. Luc. 7. Discipul. ibid.

Eia igitur *benedictio & claritas agno sedenti super thronum* misericordiæ suæ. Benedictus sit *Deus, qui dedit talem potestatem hominibus*, pretiosi nimirum corporis sui consecrandi, ipsiusque certo quodam in loco, vti olim Iosue solem, sistendi; quodque etiam maius est, sui ipsorum quodãmodo *virtute Altissimi obumbrandorum* atq; armandorum, ad 1. inimicis Ecclesiæ resistendum, 2. deinde domesticos expugnãdos, 3. deniq; ad ipsam diuinã bonitatẽ seipsa cogendã, vt misericordis clemẽtiæ suæ brachiũ sup nos extẽdat. Apoc. 7. Matt. 9. Iosu. 10. Luc. 1.

Atque

Atque hæc ſunt, animæ dilectiſſimæ, quæ hac ſum homilia proſecutus; Deus porrò vos in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti benedicat. Amen.

FERIA III. INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

De gratia Eucharistica.

HOMILIA VI.

Manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Ioan. 6.

MIRVM eſt, ex omnibus, quæ rubicunda roſa, regina illa florum, hortorum decus, & pomariorum oculus, vt pulcherrima recludere poteſt, malè ominatum ſerpentem, & venenoſam araneam mortale quoddam virus conficere: ex eadem ſcilicet illa vernantia, eadem elegantia, eodem odore, vnde argumentoſa apis, & induſtrius pharmacopæus educunt, illa ſapidum ſuum mel, hic diſtillationes ſuas, liquorès, & odoratas ſalutareſq; compoſitiones. adeò ſcilicet abuſus ea, quæ Deus *bona* & quidem *bona valdè* condidit, deprauat & vitiat. Sic quoque Rhododaphnis herba, quaſi dicas, roſolaurus, homini medica eſt, ſerpenti letifera. Hæc omnia de Sanctiſſimo etiam Euchariſtiæ Sacramento dicere poſſumus: ipſa namque dignè recipientibus, ac, prout oportet, gratiarum complementum eſt, ac calamitatum pernicieiq́ue ſumma ijs, qui eò ſe ingerere indigna conſcientia audent. An non Euangelij nos contextus docet, veteres Iſraelitas, quòd in deſerto aduerſus Moſen murmuraſſent, & panem cęleſtem & angelicum, manna inquam, nauſe-

Gen. 1.

abundo & stomacho & animo comedissent, ibidem ad vnum omnes interijsse? O præclara ac diuina laurus, quæ bonorum, qui te amant, & sub vmbra tua depugnant, victoria es ac triumphus; imprudentium verò atque temerariorum ad terram prostratio & pernicies. Quomodo, tu ô *rosa Iericho*, quæ es *Eccl. 24.*
mundissimus pollen, è quo suauissimæ deuotionis mel componitur, in spinam commutaris; quæ conscientias cauteriatas & scelestas continuis pungit ac lacerat remorsibus? &

Mors es malis, vita bonis?
Ita paris sumptionis
Quàm est dispar exitus.

Tu autem mater gratiæ ac vitæ, intercessione tua nobis præsta, ne in hoc vitæ ac gratiæ remedio iudiciū ac mortem reperiamus; & me dicentem verbaque mea gratiæ, quâ ipsa plenissima es, vita animare digneris. *Aue Maria.*

Facillimum probatu est, dilecti in Christo fratres, in diuinissima Eucharistia omnium gratiarum plenitudinem concludi, cùm ipsummet auctorem gratiæ contineat: sed gratiarum omnium maxima est, bene hac gratia vti posse. Hinc vbi primùm hanc vobis declarauerimus gratiam; secundo ostendemus loco, quàm circumspectè cauteque eamdem nos vsurpare oporteat; postremo verò examinabimus, quàm beata ea sit anima, quæ pretioso huic monili futura est theca & scrinium.

Communis ac vulgata summi boni, quod tam studiosè à Philosophis indagatum est, definitio hæc est, *Perfecta bonorum omnium aggregatio.* Porrò in quo id *Boetius*
obiecto situm fuerit, nulla dum veterum Philoso- *de consol.*
phia perspexit, & in eo planè cæcutiuit; sola Christiana fides, *vanam* veterum *Philosophiam* explodens, *Coloss. 2.*
per dogmatum illius stultitiam ad supremam pertigit sapientiam, summum illud bonum in vero suo *Gen. 29.*
centro, in Dei scilicet cognitione ac fruitione collocans. Hic porrò Deus, velut secundus quidam Iacob,

duas

duas habet sponsas; vnam quidem formosam, qualis erat Rachel, Ecclesiam scilicet triumphantem, cui se
Psal. 109. in fulgida æternitatis die, quæ noctem nescit, *in*
1. Cor. 13. *splendoribus sanctorum*, in interminabili gloriæ suæ
Ioan. 17. lumine *facie ad faciem* communicat: *hæc est enim vita æterna*; videre Deum & filium eius Iesum Christum. Miseræ verò Liæ, militanti, inquam, nonnisi in tenebris sese impertit; non tamen quasi suo vero eam
Gen. 27. corpore frui non permittat, aut sui cognitionem non concedat: in Ven. enim Sacramento *vocem quidem* intelligimus *Iacob*, sed modò quodam inuisibili & occulto, ad patientiæ scilicet ac fidei nostræ exercitium. Si ergo summum Ecclesiæ, quæ in cælo triumphat, bonum in Dei possessione consistit; quin dicemus supremam filiorum in terris militantis beatitudinem in eiusdem Dei fruitione ac possessione sitam esse; qui quamuis ad dexteram Dei Patris sedeat in cælo, idcirco non minùs per corpus suum animæ nos ac diuinitatis suæ participes reddit? Quid igitur misella hæc faciet? cùm non ijs, quibus soror Lia, perfectionibus ornata sit, ac pari pulchritudine, æquum minimè est, vt tam perfectè atque integrè ac soror sponso suo potiatur.

Exod. 33. Moses, etiamnum in terra, & Ecclesia militanti peregrinans, ingentis amoris sui flammis æstuans, hanc à Deo suo, qui nimirum adeò familiariter cum illo agebat, vt *ore ad os illi loqueretur*, & tot dierum spatio ad priuatum se eum colloquium admitteret, sibi gratiam concedi petere ausus fuit, dicens, *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Audax sanè postulatum: verùm *quid non sperent*, quid non *tentent amantes*? Sed illi confestim respondet Deus: Amice mi, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*: diuinitatis meæ fulgor mille solibus rutilantior, vehementior ac fulgidior est, quàm vt sub debilem palpebræ mortalis conspectum & apprehensionem cadat: hinc *videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non pote-*

poteris. Cùm ergo sæculi huius sectarij tantum temeraria acti curiositate, quantum magnus ille legislator charitate, à vobis, dilectissimi, more suo petent, Si Christus Dominus in Eucharistia est, nobis illum ostendite; respondete, Nimis quàm debiles, ô fratres errantes, oculi vestri sunt ad fulgidæ illius faciei splendorem contemplandum; nimis parum vobis est fidei, vt hîc eum intueamini ac conspiceminis sufficiat nobis illius humeros, sanctas inquam Sacramentales species *post parietem* videre ac *fenestras*, post quas latet sponsus ita nos respiciens, vt ipsum tamen nos videre nequeamus. Dum alicuius tergum intuemur, statim iudicare ipsi possumus, faciem eius aliorsum conuersam esse, tametsi eam minimè videamus: ita *fides* (quæ, vt ait Apostolus, *rerum* inuisibilium est, & *non apparentium*) sub panis, quæ videmus, accidentibus, propriam corporis Dominici nos substantiam, idque in potestate verbi illius, cui *nihil impossibile est*, facit agnoscere. Cant. 2. Hebr. 11. Luc. 1.

Verùm quid vlteriùs Mosi Deus ait, quod ad propositum nostrum ac præsentem materiam permultum facit? *Ostendam*, inquit, *tibi omne bonum*. Quod porrò illud est bonum, nisi suiipsius manifestatio? id siquidem Redemptor ipse sic apud Ioannem declarat: *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum*. At in quo alio religionis Christianæ mysterio hæc omnis boni ostensio, hæc diuina manifestatio fit, quàm in sanctissimo Altaris Sacramento, in quo Deus in semetipso omne nobis bonorum genus communicat? & verbis suis satis declarat: cùm enim dicit, *Hoc est corpus meum; fidelis sermo & omni acceptione dignus*, ac nullam exceptionem patiens, quid ampliùs anima pia vult, quàm cum sponsa dicere, *Vt sonuit vox dilecti in auribus meis, anima mea liquefacta est*. vel cũ Dauide, *Cor meum & caro mea exultauerũt in Deum viuũ*. Exod. 33. Ioan. 14. 1. Tim. 1. Cant. 2. Psal. 83.

Si Pater cælestis, inquit Apostolus, suũ nobis in incarnatione dans filiũ, *omnia simul nobis in illo donauit*; Rom. 8.

filius

Ioan.6. filius ſeipſum nobis in hoc dans Sacramento, prout
ipſemet dixit, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro
mundi vita*; quomodo non vnà cum corpore, anima,
diuinitate ſua (nihil quippe in hac donatione ſibi
Zach.9. reſeruat) *omne* nobis donarit *bonum*, & totum ſum-
mum bonum? *Quid enim*, rogat Propheta quiſpiam
ineffabile hoc præſignificans myſterium, *bonum eius
eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, &
vinum germinans virgines?*

Mihi credite, quemadmodum riui, torrentes, flu-
mina in mare ſe exonerant, & in cor venæ, in trun-
cum venæ, in centrum lineæ terminantur; ſic diuinæ
gratiæ, quæ à ſanguinis Ieſu Chriſti merito in cæte-
rorum Sacramentorum canales ac tubos (atque hæc
Cant. 7. regia illa eſt *purpura* per *canales* profluens, de qua
loquitur ſponſa) ſingulæ defluunt, in Euchariſticum
ſimul omnes Sacramentum, quod abyſſus, mare, ve-
na caua, truncus & centrum eſt pretioſi huius ſan-
guinis & corporis, decurrunt.

Radij ſolares in ſpeculi cuiuſdam concauo col-
lecti flammas excitant; ſic & diuinæ gratiæ, quæ toti-
dem veluti ſunt ſolis iuſtitiæ radij, in hoc Sacramen-
to (quod ſpeculum eſt ſine macula, dignum quod ad-
miremur & adoremus, ſpeculum, quo non ſimplex
imago, ſed verum repræſentatur corpus eius, qui eſt
Hebr.1. *figura ſubſtantiæ Patris* ſui æterni) collectæ, quã mul-
tas in cordibus ad amori ſancto reciprocè reſpon-
dendum diſpoſitis flammas excitant!

Sap.16. Vti manna, quod nonniſi figura erat, omnigenos
terrenos habebat ſapores; ita Sacramẽtum hoc, quod
verum eſt, omnigenos fauores complectitur cæle-
Ioan.6. ſtes; cum hoc inſuper diſcrimine, quòd qui *manna in
deſerto* comedêre, *mortui ſint*, at qui Altaris mandu-
cant manna, *in æternum victuri ſint*. Verus quippe
eſt fructus vitæ, immortalitatem guſtanti commu-
nicans.

Hanc ob cauſam, veluti per excellentiam atque
antonomaſiam *Sacramentum* appellatur *gratiæ*, &
non

non vnius dumtaxat gratiæ, vti cætera, quibus sua singulis essentialis inest, sed bonæ gratiæ (hoc quippe Eucharistiæ vox denotat) eius inquam gratiæ, quam confert is, qui ipsamet gratia est & bonitas. Si *mulier sancta & timorata* dicta sit *gratia super gratiam*, (quo loquendi modo supereminens quædam signatur gratia) quantò ergo potiorem & maiorem, piæ mentes, corporis Dominici participanti conferendam censetis? Non igitur ipsum posthac ampliùs esse dicamus *memoriam memorabilium* diuinorum; sed potiùs omnium munificentiarum ac munerum Dei complementum. Isaac cùm omnium bonorum suorum ius benedicendo in filium Iacobum transfudisset, quod Esauo daret, sibi esse quidquam reliquum negabat: quid verò benedictissimus Iesus dare nobis amplius, postquam seipsum iam dedit, potest? Eccl. 26. Psal. 110. Gen. 27.

O verum Amaltheæ cornu, quod omnia nobis fructuum, *fructuum* inquam *honoris & honestatis, fructuum palmæ* sanctarum animarum palato sapidissimorum genera communicas! idque non duodenis tantùm per annum vicibus, vti arbor illa Apocalypseos, sed singulis horis, etiam momentis: nam omnibus temporis articulis *panis* hic *quotidianus*, *benedictus* hic *fructus ventris* Marialis distribuitur, nec tamen consumitur. Eccl. 24. Cant. 7. Apoc. 22. Luc. 11.

Panis, inquam, facierum, vel potius gratiarum, panis propositionis, totus sanctus, totus calidus, totus viuus, totus amore feruescens; vellus Gedeonis, rore cælesti plenum, *caput* diuini sponsi meracissimis tenerrimorum fauorum eius *guttis distillans*, narthecium aromatum, quod ipsummet in se continet vnguentarium ceu florem quemdam odoriferum; *fauus* quoque *distillans* mel è florentissimis concinnatum gratijs. Vt enim apum rex nũquam foras egreditur, nisi vniuerso suo succinctus examine; sic omnigenæ sacramentum hoc venerãdum, quod ipsum regem *benedictionum dulcedinis* in se complectitur, gratiæ ac charismata semper comitantur. Iud. 6. Cant. 5. Cant. 4. Psal. 20.

Ipsum vera panacea est ex omnibus ingredientibus ad interiorum malorum medicationem necessarijs composita, salubre est aduersus omnes *spirituales nequitias*, à quibus animæ intoxicantur, mithridaticum; terra benedicta est, & contra cordium toxicũ ac virulentiam sigillata: nicotiana est peccati plagis & concupiscentiarum adustionibus sanandis perutilis: dictamnum est ardentia ignitaq; maligni iacula eijciens; moly est, quod in flore quidem (quoad specierum quidem apparentiam) candidum est; in radice verò, propter mysterij huius obscuritatem, nigricat, ad omnes Satanæ præstigias & illusiones dispellendas conducens: flos est frumenti, dipsadum inuisibilium morsibus medens: vinum est palmeũ, ac *mustum malorum granatorũ*, quo iuuentur, quos noxius ophiusæ vanitatum sæculi succus inebriarit.

Ephes. 6.

Cant. 8.

II. At sicut qui aduersus vehementem aliquem morbum potens aliquod sumere medicamẽtum volunt, ad ipsum se potionib. aliquibus præambulis ac præparatorijs disponere solent, ne simul vno velut ictu omnes prauos humores emigrare faciant, itaq; conuulsionem aliquam ac syncopam patiãtur: ita gratia, quæ *in maleuolam introire animam* non potest, per cõtrarij sui, id est peccati, expulsioné, veluti præparationé recipi debet; ipsum verò gratiæ auctorem, cùm in illo peccatum non sit, & omnem *iniquitatẽ odio habeat*, an *in corpore subdito peccatis* & deprauationi diuersari & hospitari vellemus? an non esset *iudiciũ sibi bibere & manducare*, vti quidem cõminatur Apostolus, ipsum tam indignis habere modis, & iustè admodum buccellam mortis in ferculo vitæ inuenire?

Sap. 1.

Psal. 118.

Sap. 1.

1. Cor. 11.

Attentè serioque hæc cogitemus, fratres, ac nos ad magna cum discretione, & exacta quadam purgatione nostri præmissa, panem hunc viuum manducandũ disponamus. *Quando sederis*, inquit Sapiens, *vt comedas cum Principe, diligenter & circumspectè attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo*, sciens *quòd is habeat in potestate animam tuam*.

Prou. 23.

tuam. An nō hoc ad litteram in conuiuio Eucharistico adimpletur, *conuiuio* illo *pinguium*, *cōuiuio vindemiæ*, sed *conuiuio pinguium medullatorum*, id est, gratiæ interioris, *vindemiæ defæcatæ*: est quippe talis is liquor, vt cùm iniquitatum nostrarum fæci permistus fuerit, fieri non possit, quin acescat & in acedinē vertatur. Quàm bene igitur in Sacramenti huius augustissimi sumptione, non minùs quàm in loquendo, dicere nos cum Psalmista oportet, *Pone, Domine, ori meo custodiam, & ostium circumstantiæ labijs meis*. *Isaia 25.* *Psal. 140.*

Gratia profectò, semper gratia est, & Eucharistia semper & vbicumque sit, Eucharistia. Tam sol, sol est super florem radians quàm super lutum: verùm vt in hoc tetros excitat fœtores, ita in illo suauissimam spargit fragrantiam. Et sicut aqua à tubo & canali, per quem defluit, & à vase, in quo requiescit, putiscentiam trahit, ita Sacramenti huius gratia fit disgratia, cùm in mentem peruersam ceciderit.

Terribile rei huius exemplum Iudas est, qui ab hoc spei pignore desperandi occasionem, & ex hac salutis arca damnationem suam hausit. *O inuestigabiles viæ Dei!* an non multò *fuisset* scelesto huic *melius*, nunquam in mundo exstitisse? Sed quænam hæc futura præparatio? non ignoratis id, fratres carissimi. norunt pueri. Ipsa nimirum pœnitentia. siquidem ipsa est, quæ velut præambula *parat viam Domino*, quæ *rectas facit semitas eius*, quæ valles humilitatis extollit, & elatos superbiæ colles complanat. Hæc scilicet amaræ illæ lactucæ, quæ vnà cum Agno Paschali manducandæ sunt. ipsa mare æneum nouæ legis, in quo victimarum intestina ablui, interiora nostra expurgari, & conscientia nostra per *aspersionem* hanc *hyssopi* amaræ, quæ nos ceu *niuem in lauando dealbat*, emundari debet. *Rom. 11.* *Matt. 26.* *Matth. 3.* *Exod. 12.* *Exod. 50.* *Psal. 50.*

Matt.22 Ipsa vestis nuptialis, qua qui caret, temerè se & periculosè cælestibus diuini sponsi nuptijs ingerit.
Exod.12. Quàm multos, eheu! videre Israelitas est, qui Agnũ hunc festinanter manducant, id est, qui leuiter dumtaxat suas examinant conscientias, atque inde inconsideratè ac præcipitanter ad sacrosanctæ synaxeos participationem se conferunt! quàm autem video paucos, qui cinctis illum renibus, id est, libera plenaque peccati renuntiatione, firmo virilique non ampliùs in ipsum relabendi proposito, requisita puritate, constanti quadam recollectione mentis, *chari-*
2.Cor.6. *tate non ficta*, ac mortificationis baculum manu gestantes, recipiunt, vt cum Apostolo dicere queant,
1.Cor.9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: &, *Cal-*
Ephes.6. *ceati pedes in præparationem Euangelij* pacis.

An ignoratis, panes propositionis, qui nonnisi simplex nudaque imago, & figurata quædam panis
1.Reg.21. nostri cælestis erant vmbra, non antè ab Achimelecho Dauidi eiusque socijs datos esse, quàm ab omni se coinquinatione ac labe mundos declarassent? &
Psal.37. qua fronte temerarij quidam, quorum *cicatrices putruerunt & corruptæ sunt* ad propriæ indiscretionis
Zach.5. aspectum; quique curuati sub onere peccati, *talenti* inquam illius *plumbei*, cuius centrum tartarus est,
Psal.37. peccati inquam, quod *super* ipsos, *velut onus graue* & intolerabile *aggrauatum est*; quomodo inquam ad
Sap.14. illum, cui *odio sunt impius, & impietas eius*, accedere præsumunt?

Femina fractæ marito fidei rea, ab perfidiæ suæ remorsu assiduè diuexata, adulterioque polluta, tãetsi id maritum lateat, semper tamen tremit, & quas delibat aliunde voluptates, continua cordis palpitatione sunt interruptæ, eò quòd

Iuuenal. *----hanc diri conscia facti*
Mens habet attonitam.

Ierem.3. Quæ tot, anima, *fornicata es cum amatoribus*, quot peccata commisisti, cùm hacce rebellione sponso tuo cælesti datam fidem fregeris, impietate quadam

abomi-

abominabili te dicere fas non est: *Non videbit me* *Psal.93.*
Dominus, & non intelliget Deus Iacob. Eius namque *Psal. 7.*
nomen est cardiognostes, *scrutator renum*, quique
omnes vias hominum, & profundum abyssi cordis humani in absconditas partes intuetur, te tua ipse meliùs commissa nouit. Nisi ergo limpida pœnitentiæ bonæ profluente te ablueris, quomodo in eius prodire conspectum audeas? Veni nihilominus, paupercula
Sunamitis, quæ aberrasti, *reuertere*; *voca* eum *patrem* *Cant.6.*
tuum, & custodem integritatis tuæ. Sponsus hic & *Ierem.3.*
coniux planè bonus est, in primis erga miserum cor tuum; ad ipsum itaque delictorum pœnitens reuertere, in gratiam te readmittet, perfidiæ tuæ sincerè & ex animo obliuiscetur, flagitiaque tua in obliuionis mare demerget.

Anne necesse nos est maximo probro nostro è Gentilium superstitione aliquod documentum elicere? Erant hi in lustrationibus & purgationibus suis ritualibus, antequam scilicet ad aras accederent, aut quid attingerent, eorum, quæ velut sacrosancta habebant, quàm exactissimi.

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates: *Aenei. 2.*
Me bello è tanto egressum, & cade recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo Abluero,

aiebat patri suo Anchisæ apud magnum Poëtam Aeneas. An non cum Niniuitis in vniuersalis iudicij *Matt.12.*
die abusus filiorum lucis accusabunt? O si sol iusti- *Luc.11.*
tiæ ipsis illuxisset, quid non pro claritate ac luce fecissent, cùm in principis tenebrarum obsequio tam exacti accuratique fuerint?

Quid? ipsa etiam animalia ad has nos purgationes inuitant. Serpens suum antè euomit virus, quàm murænæ iungatur, leæna cùm leopardi copulam admisit, ad amaras acresque maris confugit aquas, ne vbi ad leonem accedit, ab eodem alienum olfaciente concubitum discerpatur. Ablue tuum antè, ô peccatrix anima, cor, & à sua ipsum iniquitate expurga, tuamque iniustitiam euome, quàm sponso tuo con- *Ierem.4.*

Apoc. 5. iungaris, antequam *leoni* illi *de tribu Iuda* copuleris. An ignoras, ipsum esse, qui vultum hinc habeat hominis, id est, humanitatem pro bonis, illinc frontem leonis, qua peruersos perterreat? Ipse ille filius hominis, Apo. 1. 19 qui manu vna gladium ad *corda inimicorum* suorum traijcienda vibret, altera verò stellas præferat, amicos suos coronaturus.

Est quippe hoc in Sacramento, vt in quadam amoris fornace, vel potius fornace Babylonica; noxios enim deuorat ac castigat, innoxios conseruat & Dan. 3. sospitat. An non, prô Deum immortalem, perfida & Iscariotica anima, quando culpis inquinata & sceleris rea ad sanctum hoc osculandum mysterium accedis, sponsum illum introrsum tibi occlamantem, & in imis conscientiæ penetralibus suggerentem audis, Lamia *ad quid venis?* an non infelicem Chore & Matt. 26. Abironis sortem perhorrescis? tuasne lumini meo Num. 22 tenebras iungere audes, & me cum Belial & Dagone 2. Cor. 6. eodem in diuersorio collocare? *si Dominus ego sum* 1. Reg. 5. *tuus, vbi est timor meus, & si ego pater, vbi est honor* Malac. 1. *meus?*

Credere equidem ad consolationem meam volo, non esse hoc in auditorio quempiam ita excæcatum & à Deo sequestratum, qui tacito quodam cum conscientiæ remorsu ad mysteriorum horum receptionem vellet accedere; semper nihilominus bonum est Psal. 59. ac perutile *dare significationem* Deum *metuentibus, vt fugiant à facie arcus* eius.

Credere etiam volo, nullum vestrûm ignem hunc sacrum in cordis sui templum illaturum, qui non ipsum antè ab omnibus profanationibus Babylonicis, id est, peccatis, purgauerit.

Ibis auis, antequam floribus se pascat, marina stomachum aqua expurgare solet. Si, ô charissimi, virgineum Sacramenti huius adorandi vinum sapidum vobis esse vultis, per Deum vos oro, vt amara pœnitentiæ amygdala antè degustetis, vitam inquam in melius commutetis.

Vt

Vt enim diaſcorides gemma viui hominis ſali-
ua magis niteſcit & fit illuſtrior, in mortui ve-
rò ore pallescit & emarceſcit: ita Venerabile Sa-
cramentum, quod tot lumina ac gratias in ani-
ma ſancta operatur; in ea, quæ peccati morte emor-
tua eſt, non modò ſuum amittit vigorem, ſed il-
lius etiam iniquitatem aggrauat. *Adhuc eſcæ eorum,* Pſal. 77.
canit de Iſraelitis Vates, *erant in ore ipſorum, & ira
Dei aſcendit ſuper eos.* Axioma commune eſt, Quod
receptum eſt, eius, à quo recipitur, formam capit;
& rurſum, Agens non aliter agit, quàm ſecundùm
diſpoſitionem paſſiuam. Ita Sacramentum hoc in
animabus, pro recipientium ac ſe diſponentium va-
rietate, agit: quæ enim *vitam* gratiæ *habent*, eam Ioan. 10.
per ipſum etiam nanciſcuntur *abundantiorem*; quæ Luc. 19.
verò ea carent, poſt ſumptionem magis etiam ea-
dem priuantur. Sunt ſcilicet *vaccæ* illæ *macilentæ* ac Geneſ. 41.
pingues, quas in ſomno vidit Pharao, eodẽ in paſcuo
paſcentes.

Cicuta adeò præſens ac mortale ex ſe venenum
non eſt: at ſi vino immiſceatur, toxicum eſt letife-
rum & irremediabile: vinum quippe ſpiritus ani-
males dilatans in cauſa eſt, cur virus penetret inti-
miùs. Peccatum ſanè ex ſe virus eſt, quod animam
quidem enecat, ſed *patientia, benignitas*, & *longanimi-* Rom. 2.
tas Dei longo illud committentem ad pœnitentiam
exſpectat tempore: at vbi anima eo deuenit infeli-
citatis ac miſeriæ, vt cœleſte Sacramenti huius et-
iam vinum ſumere audeat, quàm, Deus bone, cum
hac iniquitatis cicuta mors ipſa mortalis eſt!
Paria, vt hoc exprimant, verba dari vix poſſe
putem.

Serpens quidam rufus eſt, quem vulgò
ſcytalem vocant, ac flammis delectatur, is
admodum purus eſt, & medici eo ad expur-
gandam lepram vtuntur, modò cum Angelicæ

 (quæ

Ioan. 3. (quæ herba calida ſimul eſt & fortis) radice com-
Berchoi miſceatur. Saluator Chriſtus æneo ſe ſerpenti, con-
Red. cauo, & veneni experti aſſimilat, ſerpenti inquam
Mor. li. 4 puro, & ſancti amoris flammis rubenti, qualis in ſan-
c. 24. ctiſſimo Sacramento recipitur, atque optimum eſt aduerſus ſpiritualem peccati lepram remediũ: ſcri-
Hebr. 9. ptum namque eſt, *Neque per ſanguinem hircorum aut*
Hebr. 1. *vitulorum, ſed per proprium* ſuum *ſanguinem purgationem peccatorum fecit*: At obliuiſci nolite fortem operatricemque illam Angelicæ radicem, pœnitentiam inquam, qua Angelos in cœlo delectamus.

Lu. 15. Caueamus, ne *Adam* noſter *terreſtris* ac peccatis obnoxius *Adam* tangat *cœleſtem*, qui ſine peccato eſt; eſſemus enim alioquin vt naues ferro compactæ, quæ ad ſcopulos magneticos, dum ad eoſdem accedere volunt propiùs, colliſæ diffringuntur.

Si virulentum aliquod animal aquam limpidam vitro concluſam contingat, ipſa ilico alium colorem induit, ac turbuléta redditur. Nolite dubitare, quin, cùm conſcientia aliqua peccati rea corpus Dominicum contingit, ſuauis illa dulcedo in nigricantem
Luc. 8. furorem conuertatur. *Quis me tetigit?* aiebat de Hæmorrhoiſſa muliere Saluator, quæ peccati ſymbolum eſt.

Quamobrem, ſicut nullum animal ſemen audet guſtare herbæ, quam palmam Chriſti vocant; ita par eſt, hominem peccatorem, ſenſualem & animalem ad participationem fructus palmæ, quæ ipſemet Chriſtus eſt, ſeſe non ingerere. *Exi à me Domine*, aie-
Luc. 5. bat Apoſtolus Petrus, *quia homo peccator ſum*: & Deus in monte Sina detonans Moſi aiebat, *Iumen-*
Exod. 19 *tum quod mortem tetigerit, morte moriatur*. Mel quod adeò palato dulce eſt ac ſapidum, plagas inflammat ac vulnera; ſacramentum hoc, quod *fauo diſtillanti* in ore bonorum ſuauius eſt, inprimis noxium eſt iis, qui animas habent ab iniquitate ſaucias ac vulneratas.

Studeamus itaque, atque omnibus neruis conni-

tamur, dilectissimi, omne ab animabus nostris peccatum exterminare; & meminerimus, si virgines, quæ in Assueri Regis venturæ conspectum erant, adeò nitere, comi, ornarique debebant, vt vno antè anno faciem fingere seseque effingere inciperent, antè nos comparare ac præcomponere, quàm in illius sistamur præsentiam, cum quo nullus queat Assuerus comparari. *Esther 2.*

Nulla porrò contritione melior aut salubrior dari præparatio potest. Ad *cor* enim *contritum* hospes hic libenter diuertit, & in illo commorari gaudet. *Psal. 50.* Cùm autem de contritione loquor, de libero illo ac voluntario loquor dolore, qui animâ peccatum emigrare cogit; non verò de ideis illis & imaginibus cōtritionis, quæ nonnisi quendam eius corticem ac laruam habent. Sæpè siquidem quispiam exteriùs fundit lacrymas, cui nulla tamen est peccati deserendi voluntas, quin imò tacitum atque latens eodem reuertendi desiderium: alius etiam vehementem dolorem habebit sensibilem, minimè tamen voluntarium. Voluntarius autem, non verò sensibilis ille, veram ac non fictam efficit contritionem. Quod ad scrupulosorum aliquorum cōsolationem dictū esto, qui nunquam satis se esse contritos existimant, nisi summum quendam intensissimumque in se dolorem sentiant, ac copiosissimum lacrymarum imbrem effundant. Tum etiam ob alios imbecilliores, secreta tamen quadam superbia tumentes, qui se tum quàm maximè sanctos arbitrantur, cùm vel lacrymulam effuderunt, & pium quoddam suspirium in cœlos euibrarunt; si interea tamē benè agere firmiter apud se non statuunt, nihilum profecerint. Si ros in vellus ceciderit, & omnia circumsecus fuerint arida aiebat Gedeon Deo, inde colligam, Domine, de inimicis te victoriam mihi concessurum; at si è contrà eueniat, ab ijsdem me profligatum iri, atque vt ait, ta & contigit, & hostem fudit. Ita si vnctio & lacryma interior sit ac voluntaria, næ illa bona contritio est, vt- *Iud. 6.*

pote quæ peccatum conterit, elidit ac destruit; at si duntaxat deforis dolor apparet, inanis est & nulla contritio, ac peccatum superiores fert.

III. Hanc ob rem passim & vbique Scriptura sacra cor
Isaia 49. inculcat & cõmendat: *Præuaricatores redite ad cor; Fi-*
Prou. 23. *li, præbe mihi cor tuum; Homines* intuentur faciem, sed
Psal. 72. Deus cor introspicit: est enim ipse *cordis* humani
Gen. 24. *Deus.* Cor igitur hoc emundandũ, ipsum præparandum: quæ cor liberum ac spontaneum habitura est virgo, hanc Eliezer in sponsam hero suo Isaaco seliget; & quia Rebecca officiosam & spontaneam se exhibet, hinc armillas illi & inaures, velut futuri matrimonij arrhas & pignora, tradit.

Apoc. 3. *Ego sto ad ostium*, ait sponsus, *& pulso*; qui suum mi-
Ioan. 14. hi cor aperuerit, me hospitem habebit, & *mansionem apud hunc faciam*, & cœnabo, quin imò egomet eius
Ioan. 1. ero conuiuium ac cibus: nam *quotquot eum recipiunt, potestatem habent filios Dei fieri*, nec non gloriæ illius
Rom. 8. *heredes, coheredes autem Christi.*

Quid igitur obstat aut remoratur, dilectissimi, quò minùs nostro cor hoc sponso, qui ipsum tantopere deperit, offeramus, vt suum in eo constituat taberna-
Cant. 3. culum, ac *reclinatorium*, cùm hoc deliciarum eius sit scriniolum? quin illud ad ipsum recipiendum disponimus, si non adeò quidem dignè, vt oportet, saltem quàm fieri potest optimè? Audite generosum Dauidis
Psal. 44 *cor*, quomodo *bona* hæc *verba eructet: Tibi dixit cor*
Psal. 26. *meum, Domine, exquasiuit te facies mea: paratum cor*
Psal. 56. *meum Deus, paratum cor meum*: tu es enim *Deus cordis*
Psal. 72. *mei, pars mea in æternum*, & *ego sum* totus *tuus*. Tuus
Psal. 21. inquam sum Domine, idque tot tantisq; nominibus; creationis, cõseruationis, redemptionis, vocationis, electionis, vt minimè sim meus, in quantum tuus sum.
Psal. 115. At, cùm nequeam recognoscere, nec *quid retribuere, Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi*, quàm *salutarẽ*
1. *Cor.* 10. *calicem* tuum *accipiendo*, quæ est *corporis & sanguinis*
Luc. 19. tui *cõmunicatio*, veni *dulcis hospes animæ*, veni, Zachęũ hunc adi ac Publicanum hunc, miserum Pharisæum

hunc

hunc inuiſe, veni ac deſcende in domum *ſerui tui & filij ancillæ tuæ, dirumpe vincula mea*, quibus peccato ſum alligatus, educ me, velut ſecundum quendam Petrum, è prauorum habituum cuſtodia. *Pſal. 115.* *Act. 12.*

Mi Ieſu ad me venias,
Nec te dimittam amplius.

Veni in hortum tuum, dulciſſime ſponſe, & *comede ibi fructus*, quos plantauit gratiæ tuæ manus. Ibi *tibi offerã boues & oues cum hircis, & incenſo arietũ*, id eſt, robur meũ ſpirituale, quod ſoli obſequio tuo reſeruo; puritatẽ, quã tantopere ipſe concupiſcis; & orationẽ, quæ adeò tibi grata eſt. In hoc corde meo *noua & vetera* viridarij animæ meæ *poma tibi ſeruaui.* *Cant. 5.* *Pſal. 65.* *Cant. 7.*

Et verò non modò dimidium cordis mei regnũ tibi defero ac ſpõdeo, vti olim Eſtheri Aſſuerus, Berſabeæ Salomon, verùm etiam integrum & abſolutum affectuum meorũ imperium, nihil mihi vel alteri reſeruãdo, indiuiſum tibi dabo: Nec iam aliquã bonorum noſtrorum portionem, vti olim obſequioſus Abrahã ſuis hoſpitibus; nec talem partem, qualẽ tibi ſeligere placuerit ex omnibus, quæ poſſideo, qualem Tobias olim Raphaeli obtulit, ſed partẽ, quæ ſit inſtar totius. cor quippe pars eſt, quæ noſtrã conſtituit totalitatẽ. Non dicam cum immiti illa muliere *diuidatur*: cor enim diuidi nequit, niſi moriatur; in integritate eius ſita vita eſt; hoſtia hæc, quò accepta ſit & placeat, viua ſit oportet, & proinde integra. *Eſth. 5.* *3. Reg. 2.* *Geneſ. 18.* *Tob. 12.* *3. Reg. 3.*

Quo verò, quod dignum ſit, ornamẽto receptaculũ hoc & diuerſoriũ exornabimus, vt ſacram eo perſonã tuã, *Rex meus & Deus me⁹*, excipiam⁹? Etſi enim tua te humilitas in ſtabulo naſci, panniculiſq; tenuib⁹ fecerit inuolui, hi tamẽ puriſſimę V. Mariæ manib. abluti mũdi admodũ & nitidi erãt: adhæc, ſinus ille matern⁹ te dignũ erat in illo magnitudine tua digno loco reclinatoriũ. Inſuper in ſaxeo quidẽ *ſepult⁹ es monimẽto*, præterquã tñ, ꝙ ipſum *nouũ* fuit, aromata, quæ te vnxerunt, & ſindones mũdę, quib. es inuolutus, maximo te cũ honore recipiebant: ceterũ mea in anima aliud præ- *Pſal. 5.* *Luc. 2.* *Ioan. 19.*

præter ſtabuli ſordes & ſepulcri duritiem non contemplor, non autem ſindonum candorem, non maternorum brachiorum charitatem, non denique puritatis, quam tantopere diligis, odorem.

Quis mihi pretioſum quoddam virtutum det periſtroma, vt interiorum meorum cœnaculum eo conueſtiam, vt intra ipſum Saluatorem meum excipiam? Videtis enim, dilectiſſimi in Chriſto, quamquam benedictus Dominus noſter in paupertate vixerit, & in media Caluariæ montis mephiti moriturus eſſet; magnopere tamen de decoro atque ornatu in myſterij huius inſtitutione, quod nimirũ in cænaculo *grande ſtrato* primùm inſtituit, ſolicitum fuiſſe; vt nos doceret ſacerdotes, non modò quanta exteriùs, dum ſacrificium hoc offerimus, adhibenda mundities ſit; verùm etiam, & multò magis, quantis virtutum ornamentis & monilibus interanea noſtra ſacræ ſynaxeos tempore condecoranda ſint.

Quin cor meũ nitida quædam & pellucida eſt cõcha ad margaritam hanc Euangelicam recipiẽdam! quin adeò ipſum pretioſum, vt myrothecia & narthecia illa Darij, ad pretioſum hoc monile mille mũdis pretioſius recipiendum! quin mihi Artemiſiæ ſunt opes, vt cariſſimo huic ſponſo & coniugi mauſolæũ erigam, quod magnitudini eius reſpondeat! Veni, ô
Eſai. 66. pauperum ſpiritu rex, cuius ſpiritus libentiſſimè *ſuper humiles requieſcit*, ac viſita deſolatum cordis mei tugurium, ipſum gratijs tuis exorna, & auratis id pa-
Pſal. 138. latijs multò erit opulentius, & *nox* mea tecum erit
Luc. 24. *die* ipſa luminoſior, & *tenebræ* meæ *lumine* clariores.
Cant. 4. *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit*, iam *dies exſpirat, & inclinantur vmbræ*: ne obſecro nos in hac mortalitatis peregrinatione derelinquas; ſed præſta, vt 1. gratiarum tuarum in diuino hoc myſterio abundantiam cognoſcamus, 2. dignè ipſum recipere, 3. in corde ad benedictionum tuarum receptionem optimè diſpoſito mereamur, In nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti. Amen.

FERIA IV. INFRA OCTAVAM FESTI VENER. SACRAM.

De frequentis communionis commodis.

HOMILIA VII.

Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Ioan. 6.

CONCHILIA, quibus in oceani fundo vniones innaſcuntur, quotidie manè ſub auroram ſolent ſuper aquæ ſe ſuperficiem extollere, atque apertis teſtis cælicum rorem intromittere; hoc ſiquidem liquore nutriuntur & creſcunt: cùm verò nubilum tempus eſt, nec vllus cęlo ros delabitur, nõ minùs ideò ſeſe adaperiunt, vt ad aëris ſaltem ſplendorem poliantur & nitidiores reddantur. Et ſanè, ſi modò aduertere diligenter volueritis, ad oculum videbitis, margaritas aquam cæleſtem pro materia habere, pro forma lucem: ab aqua eas turgeſcere, ab aëre in orbem coaleſcere & molleſcere. Eandem animæ verè Chriſtianæ, ac de ſua ſalute ſolicitæ inclinationem ac propenſionem habent: quotidie enim eas, niſi potens aliquod & legitimum impedimentũ interuenerit, è maris mundi huius fundo egredi videmus, & ad templum ſeſe cònferre *os* ſuum in oratione *aperientes*, vt *ſpiritum* diuinæ gratiæ *attrahant*: *Pſal.* 118. ac ſicut non ignorant, Catholicæ religionis apicem ac faſtigium, atque ſummum eius erga diuinam maieſtatem cultũ, ſacrificium eſſe Euchariſticum, quàm libentiſſimè eidem interſunt; hoc tamen diſcrimine, quòd interdum non corporaliter ac realiter ſacras has epulas ineant, ſed tamen ſemper ſpiritualiter. Vnde fit, vt, ſi cœleſti corporis Dominici rore, in ſanctiſſimi Sacramenti receptione imprægnari turgeſcereque

gescereq; nō queant, nō idcirco tamen minùs se quotidie magis ac magis ad sanctæ præsentiæ afflatum & aërem expoliant. Hoc scilicet modo spirituales Euangelicæ margaritę in cordium bene institutorū conchis formantur, & sacræ creaturarum cum Creatore suo, & Creatoris cū creaturis, ac fidelium inter se, in
Act. 5. vnius cibi participatione, nonnisi *cor vnum & animā vnam* habentium, vniones producuntur: cor porrò & anima hæc vna ipsemet Saluator est, feliciter pacificeq; nostris in cordibus regnans. Tu autē sanctissime Spiritus, nubes illa cœlestis, qui pretiosam hanc cōcham, virginitatem scilicet Deiparæ matris, obumbrasti, vt è purissimo cordis eius sanguine inæstimabilem & incomparabilem illam margaritam, Saluatoris, inquam, nostri benignissimi humanitatem educeres, super animas, tam mei loquentis, quàm horum audientium, benedictiones tuas deplue; tuq;, ô stella maris, benignos tuos influx⁹ huc destina. *Aue Maria.*

Quoniam, dilectissimi in Christo, omnis boni participatio in sanctissimæ Eucharistiæ communicatione sita est, quòd verum illum in ea Deū, *in quo sunt omnia, à quo omnia, & propter quem omnia*, recipiamus: & omnia bona ad tria reducuntur genera (sunt nempe alia honesta, alia iucūda, alia denique vtilia) statui ipse mecum, regis gloriæ nomine, ad nuptiale filij eius conuiuium vos inuitare, quin imò eòdem compellere, ostendens 1. quantum sit honorem, 2. quā voluptatem, 3. quæ commoda frequens diuini huius mysterij receptio vobis allatura. Hæc porrò homilia velut præambula futura est, nec non speculatiua magis & theorica, cùm frequētioris communionis praxin & vsum crastina sim die tractaturus.

I. Vt verò à bonis honestis exordiamur, quoddam inter Christianos impietatis foret genus, credere nolle omnis gloriæ & honoris fontem in Saluatore Iesu cōsistere. Ipse enim sapiētia æterna est, de qua scriptū
Eccli. 24. est, *In me est fons* gloriæ & honoris, *& flores mei fru-*
Psal. 111. *ctus honoris & honestatis*; ipse est, *in cuius domo est glo-*
ria,

ria, ipse *gloria amictus* & pulchritudine, ipse *Agnus*, *Psal 103.*
cui *omnis* debetur *benedictio*, *laus*, *honor & gloria*. *Apoc. 5.*
Quando igitur è sacro eius bibimus latere, quod, teste Chrysostomo, in sanctissima Synaxi facimus, an non os quodammodo ad canalem & tubum, è quo omnis dimanat honos, apponimus?

Moses quòd in rubo ardenti Deũ vidisset, è participatione diuinæ gloriæ radiãti vultu ac luminoso descendit. Stephanus cũ Christũ Iesum stantẽ à dextris Dei vidisset, facies ei⁹ Angelicæ instar refulsit. B. Philippus Nerius, Congregationis Oratorij fundator, vt plurimùm à sacrificio altaris vultu adeò fulgido & sereno reuertebatur, vt quotquot in eum oculos defigerent, venerationem quandam sui in ijs excitaret. *Exod. 3.* *Exod. 34.* *Act. 7.*

Quis, obsecro, dilectissimæ in Domino animæ, verbis exprimat ingentem, qui vobis ex sublimis adeò maiestatis accessu honor prouenit? Regina Austri maximo sibi honori ducit ac gloriæ, in Salomonis regis conspectum prodire posse; & nunquid *plusquã Salomon hic?* magna haud dubiè Estheris fuit gloria, quòd in Assueri regis potentissimi coniugem assumeretur; nec non ancillæ Ruth, quòd à Booz in vxorem deligeretur; Rebeccæ quoque, quòd ab Isaaco illius connubium expeteretur; denique Roxanes ac Compaspæ, quòd ipsarum nuptias magnus ambiret Alexander. Sed quid hæc sunt, si honorem, quo animæ nostræ, dum mysterij huius participatione diuinæ consortes fiunt naturæ, afficiuntur, cum his comparemus? *3. Reg. 10.* *Matt. 12.* *Esth. 2.* *Ruth 4.* *Genes. 24*

Honorificum inprimis Dauidi fuit, *de gregibus ouium sustolli, & de post fœtantes accipi*, vt in Saulis generum eiusque in regno successorem assumeretur; sed parua hæc sunt collata cum *diademate*, *quo* Ecclesia *mater* nostra nos *coronat in die desponsationis* nostræ, ipso inquam die, quo sacrum hoc conuiuium inimus. *Psal. 77.* *Cant. 5.*

Quid? si inanis hęc persuasio, qua, vt aiebat ille apud

Plutar-

Plutarchum, nemo non ſibi perſuadet, è magnatũ ac procerum commercio omnigena hominibus commoda, & omne felicitatis genus accidere, Regum curias tot aſſeclis & clientibus replet, qui ab illorum beneficẽtia ac liberalitate patulis dependent faucibus, quas non excellentias & dignitates è Regis Re-
Pſal. 23. gũ, cuius *eſt terra & plenitudo eius*, nos exſpectare acceſſu commercioque par eſt?

Luc. 1. Diuinum illud Deiparæ matris Canticum ad finẽ vſque euoluite, & ipſam videbitis, omnem ſuam illi,
Eccli. 24. qui *in* ſuo *requieſcere* dignatus eſt *tabernaculo*. in quo *fecit magna qui potens eſt*, ad ſancti nominis ſui gloriam, magnitudinem & excellentiam attribuere. Percurrite & Zachariæ Canticum, ac videte, quomodo omnem Iſraelis gloriam & redemptionem vni Meſſię aduentui aſcribat. Ipſius quoque vxor Eliſabeth
Luc. 1. quantum ſibi aſſerit ac fatetur è Deiparæ matris viſitatione honoris & gloriæ acceſſiſſe?

Luc. 2. Magna etiam paſtorum, vigilantium ſuper gregẽ ſuum haud procul à Bethleem, fuit prærogatiua, quando ab Angelo ad recèns natum puellum viſendum ſunt inuitati, & humaniter ad ſacram eius ad-
Matth. 2. miſſi præſentiam. Magi quoque inſigne ſibi accedere decus ex eo credebant, quod *puerum cum Maria matre eius inueniſſent*, ipſum vt adorarent, & ſua illi ſceptra ac diademata, oblatis muneribus in obſequium, velut vaſalli deferrent, hæc ſe veluti ab eo accipere
Prou. 8. profitentes, *per quem Reges regnant*. Quanto, hui! maiori gratia ipſi donamur, fratres, qui non adoramus modò, ſed & amplexamur & ſuſcipimus illum,
Deut. 4. cui *poteſtates Angelicæ hymnum gloriæ concinunt? Quæ eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos ſic appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt* nobis, vt qui nõ modò inter nos, ſed & intra nos commoretur?

Dan. 14. Taceat Daniel, in lacu ſe leonum, magna ſua gloria, à propheta per Angelum ſubuecto enutritum fu-
3. *Reg* 19. iſſe; deſinat Elias honori ſibi ducere, Angelum ſe in deſerto nutritium habuiſſe; cùm ipſe *magni conſilij*

Ange-

Angelus non solùm noster sit pastor, sed ipsummet pascuum & cibus.

Tametsi claudi, & pedibus capti simus, ad instar Miphiboseth, non propterea minùs ad veri Dauidis mensam commensales admittimur: cæci & claudi à patrisfamilias nuptijs nõ excluduntur: imò verò nec Amani superbi ab Assueri epulo arcentur, etsi apposita suam in perniciem conuertant. Ad quantã (ô bonitatem Dei infinitam!) eminentiam ac dignitatẽ per mysterij huius participationem humana nostra natura euehitur! *2. Reg. 9.* *Luc. 14.* *Esth. 5.*

Apostolorum princeps Petrus Dominum Iesum ante pedes suos prouolutum miratus, ait, *Domine, tu mihi lauas pedes?* non aliam id ob causam fiebat, quàm vt Apostoli huius hoc pacto cor ad summum illud gloriæ fastigium, quò clementissimus Dominus Iesus ipsum, corpus illi suum in cibum dando, conducere volebat, recipiendum disponeret. Audite quid dicat, *si non lauero tibi pedes, non habebis partem meum:* perinde ac si dixisset: si minorem hunc honorem suscipere recusas, dum meæ pedes tuos manus tangent, quid tum dices, quando ipse totus tua in viscera descendam, *in te manens, & tu in me*? In hominum scilicet pectoribus, Petre, non in monte Thabor, *tabernacula facere* volo: gaudeo namque humanitatis meæ arcam sub animatis papilionibus commorari, & has complector animas, quæ me ceu *tabernacula Cedar*, tanquam *pelles Salomonis* recipiunt. *Ioan. 13.* *Ioan. 6.* *Matt. 17.* *Cant. 1.*

Quàm se glorificatum existimauit Salomon, cùm, magnifico templo suo, inter cetera mundi miracula facilè miraculosissimo, iam condito suã ibidem Deus dignatus est manifestare gloriam, ac suam in eodem orantibus benedictionem cõferre, eorum preces exaudire, & sua edere oracula promisit? Per Eucharisticam porrò communionem minimè dubitandum est, quin *corpora nostra* viua reddantur tum *Spiritus sancti*, tum corporis filij Dei *templa*. Quàm porrò beata illa est anima, quę huc euehitur dignitatis, vt Dei fieri thro- *3. Reg. 8.* *1. Cor. 3. & 6.*

ri thronus mereatur? ſcriptum eſt namque, animam iuſti diuinæ ſapientiæ ſedē eſſe. an non enim ipſa verè cœlum dici poteſt, cùm Dominus in ipſa, non ſecùs atque *in templo ſancto ſuo* & in ſede cæleſti commore-
2. Cor. 12. tur? Deſinamus itaque iam Pauli in tertium vſque cęlum raptum admirari, Deum potiùs in terram, ad animos noſtros viſitandos, tantoque eoſdem honore cumulandos delabentem miremur. Dic mihi, pia anima, quoties tuum ipſa creatorem ſuſcipis, an non in interioribus tuis, quaſi per prælludium, & per quādam velut gloriæ arrhā, dulcia hæc audire tibi vide-
Matt. 25. ris verba, *Veni benedicta Patris mei, recipito regnum*, quod in me tibi ipſe *præparaui*? Et poſtquam iam aliquis cum quodam pietatis ſenſu ac deuotè communionis ſacræ factus eſt particeps, nunquid verè cœlorum regnum in ſe habere dici poteſt?

Quantum Simeonis, ſancti illius ſenis, fuit gaudium, nec non gloria, ſuis puerum Ieſum vlnis piè conſtringere? Pij, quos Canticum eius continet, exceſſus interiores animæ eius ſenſus ſatis produnt: ſed maximus omnium reginæ cœlorum fuit honos, ipſum lactare, educare, & caſto ſuo in ſinu reclinare. Idem de anima, quę ſuum recepit Creatorem, dici non immeritò poteſt.

Luc. 2. Quòd ſi crux, quæ ſanguine illius fuit irrigata; ſi ſepulcrum, cui corpus eius incluſum; ſi ſtabulū, in quo natus; ſi cœnaculum, in quo Euchariſtiam primùm inſtituit; ſi hortus oliuarum, qui ceu torcular doloroſum, ſanguinem ſimul & aquam eius corpore expreſſit; ſi denique terra vniuerſa, in qua commoratus eſt, ſancta appellatur, quòd venerandorum pedum eius plantis calcata fuit; ſi omnia etiam loca, quæ ſacra ſua beauit præſentia, ab omnibus omnino Chriſtianis piè coluntur & honorantur, quantò maiori eminentioriq; dignus honore eſt, qui ſacrum eius corpus non iam morti & paſſioni obnoxium, ſed glorio-
2. Cor. 4. ſum ac viuens participat, tātum tamq; eximium *theſaurum in vaſe fictili* ac luteo *geſtans*?

Perpe-

Perpetuum Zachæi in ſacris litteris nomen erit & *Luc.19.*
memoria, quòd Dominũ Ieſum hoſpitio recipere me-
ruerit; & quamuis ſtatura puſillus eſſet, ad ſummam
tamẽ magnitudinem eum beata hæc ſors euexit. Ani-
ma verè humilis & pœnitens, tametſi peccatis inqui-
nata, tãtam è participatione corporis Dominici glo-
riam haurit, vt eius dici non immeritò queat *ſtatura* *Cant.7.*
aßimilata palmæ; quòd intra terram ſe per humilitatẽ
profundè abſcondens, ſuum ad eum, qui cœlis omni-
bus altior eſt, faſtigiũ ac verticẽ extendat. Ex omnib.
verò, quæ hactenus produxi per inductionem, exem-
plis ſatis colligere iã poteſtis, fratres, ad quã hono-
ris nos ſublimitatẽ frequẽtior euehat cõmunio: quid
igitur ſi eiuſdẽ dulcedinẽ cõmemorauero & delicias?
vt enim fatear, quod res eſt, bona delectabilia longè
potentior ſunt ad animos hominũ alliciendos eſca.

Nihil adeò Alexandrum Magnum ad bellum Inſu- *II.*
lis Fortunatis inferendũ, & ad omnigenis illarũ expu-
gnandarũ ergò ſeſe exponendum periculis animauit,
quã quòd eminus odorẽ & fragrantiã, quã lenis qui-
dã ventus in naues illarũ orã oberrantes afflarat, per-
cepiſſet. Quis ſuauitates exprimat, quę ex hac offici-
na *pigmẽtarij*, Euchariſtia inquam exhalant, vbi *genæ* *Cant.5.*
ſpõſi ſimiles sũt *aromaticis areolis*, & pyxidiculis nar-
dicis; vbi *veſtimenta* eius omnẽ excedunt fragrantiã; *Cant.4.*
vbi *nomẽ* eius balſamum & *oleum effuſum* eſt; vbi *vir-* *Cant.1.*
gula illa *fumi* ex omnibus pulueribus *aromaticis* cõ- *Cant 3.*
poſita habetur, vbi *nardus* dat *ſuauitatem odoris*, vbi *Eccli.24*
cibus & beatarũ æternitatis inſularum panis eſt. *Ve-* *Pſal.45.*
nite & videte, amici mei; *vacate & videte*; *guſtate &* *Pſal.33.*
videte, quàm ſit Dominus ſuauis. Si ita *vox eius dulcis* ſit, *Pſal.28.*
vt verbum eius Propheta *fauo mellis* comparet, quid
de eius dicendum corpore? quid de ſanguine?

An non velut per præguſtum ac prælibando ne-
ctar & ambroſiam is deguſtat, & cæleſtia ante mor-
tem gaudia præſentit, qui poſſidet illum, qui omnis
cœlorum lætitia eſt, & in cuius conſpectu vera cœli-
tum conſiſtit beatitudo? Credite, dilectiſſimi, quoties

ſacras haſce dapes vſurpatis, ſuauia illa vos in intimis animi audire penetralibus verba, quæ in cruce pendens Redemptor ad bonum latronem protulit,
Luc.23. *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiſo.* Vt enim hæc promiſſio localiter impleta non fuit; neque enim eo fuit die trans cęlorum orbes, qui tamen propria ſedes gloriæ ſunt, latro euectus: attamen realiter; Saluatorem quippe in ſinu Abrahæ vnà cum omnibus fidelibus ibidem collectis conſpexit: ita in ſacroſancta ſynaxi, tametſi ipſi in paradiſum non inuehamur, ipſe tamen paradiſus in nos deſcendit: quòd
Pſal.98. *qui ſedet ſuper Cherubim*, in interiora noſtra amicè deſcendere dignatur, vt noſtras illuminet tenebras, noſque ab vmbra mortis vindicet.

Geneſ.48 Iacob Patriarcha cùm Ioſephum filium, quē haud ita pridem vt mortuum planxerat, in vniuerſa terra Aegypti dominantem præſidentemque ſumma cum poteſtate conſpexit, *Iam*, aiebat, *lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Videtiſne, vt amor etiam in medijs mortis doloribus nos dulcedinem reperire aliquam faciat, & dulcis Ioſephi præſentia bonum illum ſenem gaudijs compleat? quantò potiùs pia quædam anima, cùm Saluatorem ſuum Ieſum in Euchariſtia reperit, dicat, æternùm ſe iam mori non poſſe, quòd æternæ vitæ pignus in ſe contineat; ac nulla ſe afflictione opprimendam, quòd vera ſua perfruatur lætitia?

Incredibile ſanè & ineffabile glorioſiſſimæ tum Virginis, tum Ioſephi fuit gaudium, quando Ieſum
Luc.2. duodecennem, iam triduo Hieroſolymis fruſtra quęſitum, tádem in templo inter Doctores medium, *ple-*
Ioan.1. *num gratiæ & veritatis* repererunt; quo facto liquidò
Coloſſ.2. eis oſtendit, omnes in ſe *ſcientiæ ac ſapientiæ* diuinæ *theſauros abſconditos eſſe.* Ingens quoque & inexpli-
Marc.16 cabile Mariæ Magdalenę lamentantis fuit gaudium,
Ioan.20. quando, poſtquam iam diu apud magiſtri ſui ſepulcrum incaſſum planxiſſet, eum furtim ab aliquo ſublatum credens, & huc illucque curſitans quæſiſſet,

ipſum

ipsum inopinatò tandē in horto reperit tum, cùm minùs credebat inueniendum: quo conspecto prę mentis exultatione exclamat, *Rabboni*. at cùm ad ei⁹ prouolui vellet pedes, vnicum malorum suorum azylum, ac quietis suæ sedem, ab ipso inhibita fuit, & audijt, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrē meum.* Cur ab ipsa tangi te vetas, Domine, eò quòd nōdum ad Patrem ascenderis? quò si semel ascenderis, quomodo ab ea tangi poteris, nisi eam simul tecum intra cœlos, *& in aera rapias?* Videtisne, carissimi, quomodo tactus hic sacræ fuerit diuinissimi corporis eius, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, communicationi reseruatus; quod toties Seraphicæ huic amanti suo in spelæo, post Domini in cœlos ascensionem, Angelorum fuit manibus, à quibus sana & bene valens in cœlos abrepta sacrosancto Domini corpore reficiebatur, impertitum est. Eodem quoque modo incredulis illis Capharnaitis intelligere non valentibus, *quomodo suam* ipsis *carnem manducandam dare posset*, Saluator respondit, dicens, *Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* tanquam si dixisset: Sanè post ascensionem meam etiam multò id vobis ad credendum durius apparebit. An non hæreticorum nostræ tempestatis errorē scandalumq; hîc eum diceritis præsignificasse? Sed eos missos faciamus, vt animam, quæ diuini huius redditur consors mysterij, eodem omninò repleri dicamus gaudio, quo olim Mariæ, tam innocens quàm pœnitens, repletæ sunt, & quidem eò maiori, quòd non sacros modò suauissimi huius Domini pedes tangere, sed vniuersum quoque corpus eius complecti permittatur. 1. Thess. 4 Ioan. 6.

Adaucta tum sponsæ in Canticis & duplicata fuit lætitia, quando, post varios labores & vagas cursitationes, quæ sanè suis non caruerunt molestijs & incōmoditatibus, suum tandem dilectum reperit. Vti & Annæ Tobiæ matris, cùm reducem conspexit eum, Tob. 10.
qui *dilectus vteri* illius, & *dilectus votorum* eius erat, Prou. 31.

quem absentem tot lacrymis &gemitibus planxerat: priuatio namq; , cotis instar, fruitionis cuspidem exacuit &acuminat, eò quòd illius amarities possessionis suauitatem suauiorem efficiat. Quanta ergo voluptas sit oportet animæ verè Dei sui amantis, quem
Esaiæ 26. *in* sæculi huius *nocte desiderat*, de quo vt cogitet, sum-
Psal. 129. mo *mane* exsurgit; & ad quem *de profundissimo* corde suspirat, quando instare & aduenire videt tempus, quo illi intimè vnienda est! Profectò quemadmodum quæ sensus expertia sunt, cũ impetu quodam ac præcipitanter ad suum feruntur centrum, non aliter animam talem ad Deum suum crediderim vergere. Atque illud ipsum desiderium est, quo actus exclamat
Psal. 62. Propheta: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo; sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*: nec non
Psal. 41. *anima mea*, vt *repleatur adipe & pinguedine*, sed *adipe frumenti, vt labijs exultationis te laudet os meum.* Quin etiã se ceruo ad fontes aquarum anhelanti assimilat.

Talis haud dubiè turbarum illarum numerosarũ, quæ Redemptorem, illius audiendi verbi auidę, quocunque pergeret, etiam ad intimas vsque deserti solitudines sequebantur, spiritualis fames erat. Si porrò adeò vox illi⁹ dulcis est, vt per aures tot ad se corda attrahat, an minor corporis illius futura est hominum in affectus potentia & efficacia, cùm per ora nostra in animos se & præcordia gliscendo insinuat?

Quoties continuum illum frequentemq; Saluatoris in Bethaniam secessum in Euangelio legimus, castellum id, nec non ipsas hospitas eius ac discipulas, sorores inquam illas germanas, Lazarum quoque illarum fratrẽ vt beatissimos habemus, quòd piæ illæ animæ ad votum & sufficienter possiderent illum, cu-
Sap. 8. ius *conuersatio non* modò *amaritudinem* nõ habet, *nec tædium*, verùm etiam ingentem *lætitiam & gaudium.* Quantò illi gratius habitaculum est exigua cordium nostrorũ Bethania? si præsertim illa sint ad duplicem vitam, cùm actiuam, tum contemplatiuam, quarum imago duæ illæ sorores sunt, amplectendum & agendum

dum disposita? Quàm suaues illius hìc sunt inspirationes! imò verò quamuis eadem per iniquitatem emortua & putrefacta essent, si modò ad illum cum commissorum dolore ac pœnitentia reuertamur, hæc ipse, velut nouum quendam Lazarum, ad gratiæ suæ vitam per *misericordiam* suam, *quæ melior est super vi-* Psal. 62.
tas, resuscitabit.

Quonam autem in mysterio misericordia hęc meliùs splēdescit, quàm in hoc ipso, quod módò tractamus, vbi nos Deus *adipe* satiat *frumēti*, & *de petra mel-* Psal. 147
le nos *saturat*, *petra* inquam, quæ *Christus est* Christus Psal. 80.
scilicet, qui *fauus* quidam *distillans* est? Manna Israe- 1. Cor. 10
litis, & inprimis pueris sapidū ac suaue erat: vt enim Cant. 4.
illorum innocentia ad Angelicam puritatem integritatemque quàm maximè accedebat, ita magis & excellentiùs hi erant ad Angelorum hunc panē gustandum dispositi: hinc etiam ipsum ardentiùs quàm materna concupiebant vbera, & fructus etiam saccaro dulciores. Non aliter quoque piæ animæ supersubstantialem hunc Eucharistiæ panem esuriunt. Hinc sponsa cùm dixisset, dilecti sui *nomen* esse velut *oleum* Cant. 1.
effusum, ilico subnectit, *ideò adolescentulæ* id est, animæ simplices ac piæ *te diligunt*. Ipse viridis quidam ramusculus est, quem pastor, vt sanctus ait Augustinus, cùm ouibus ostendit, ipsæ illum quocunque sonus, cùm ouibus ostendit, ipsæ illum quocunque lo-
corum sequuntur; quæ non modò *eius* cognoscunt *vo-* Ioan. 10.
cem, sed etiam post ipsum *currunt in odorem vnguentorum* eius.

Odor, aiebat pius ille senex Isaac, vestimentorum Gen. 27.
filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quanta verò fragrantia illius est animæ, quæ Christum Iesum veluti solem iustitiæ est induta! Si Iacob mutuatitias fratris sui indutus vestes paternam in se benedictionem attraxit, quam non ipsi illum induti, qui *Deus de Deo, lumen de lumi-* Psal. 103.
ne, & amictus est lumine sicut vestimento, à Patre cælesti sperare gratiam debemus? Si nostram in- Psal. 50.
tueri indignitatem, magne Deus, recusas, si *auertis* Psal. 83.

faciem tuam à peccatis nostris, *respice* saltem *in faciem*
Psal. 78. *Christi tui, & propitius esto* infirmitatibus nostris *pro-*
pter nomen eius, quod tantundem sonat ac Saluator:
Gen. 37. intuere nos velut Iosephos, *polymita* perfectionum e-
Esaiæ 61. ius *tunica*, velut *vestimento salutis* & gaudij, *indutos.*
Esth. 8. Inopes ipsi Mardochæi sumus; sed, cùm Assuerus nos
noster ita dignatur honorare, vt regijs suis nos orna-
mentis exornet, & suis nos gratijs condecoret, an non
in spem venimus, ad nuptias tuas cœlestes nuptiali
hoc schemate nos amictos intromittendos?

III. Etiam Domine; neque enim incomparabilium so-
lùm carnis huius ac sanguinis deliciarum, verùm et-
iam infinitorum humanitatis huius deificatæ, quæ in
omni iustitiæ rigore pro nostris iniquitatibus satis-
fecit, meritorum participes reddimur; Saluator hic
Gal. 2. nos dilexit, *seq́; ipsum pro nobis* non modò in mortem,
verùm etiam in hoc Sacramento ad nostri redempti-
onem dedit.

Gen. 49. Neque verò pauxillum tibi aquæ (etsi *effusus ipse sit*
Ioan. 4. *sicut aqua*, ipse qui est *fons aquæ viuæ salientis in vitam*
æternam) offerimus, vti olim Regi suo inops ille Si-
Hebr. 12. mettus, sed *sanguinem* inæstimabilẽ, qui multò *loqui-*
tur efficaciùs *quàm sanguis Abel*; neq; enim vindictam
clamat, sed delictorum abolitionem. Neque vastum
quoddam damus chrysomelon, quale Alexandro Ma-
cedoni rusticus ille obtulit, sed hunc ipsum, quem in
Cant. 2. suo Epithalamio Sunamitis *malo* comparat florenti,
Cant. 5. pomo aureo; quin imò sponsus hic *caput* habet ex *au-*
ro optimo.

Verùm quamnam maiorem mysterij huius afferre
vtilitatem possemus, quàm dicere, quemadmodum
id ex infinito institutum amore est, ita quoque infini-
tas ab eodem in nos gratias deriuari? Omnes hîc cõ-
parationes locum non habent: ecquæ enim finiti cum
infinito est proportio, donum, donans, donatum, sin-
gula infinita sunt; infinita etiam prodigalitas, & *mi-*
Psal. 77. *sericordia sine numero.* Videre vultis oceanum in con-
cha, *aquas quasi in vtre?* cogitate, creaturam hîc in se
reci-

recipere illum, qui non modò corde eius capacior est, sed quem *nec cœli cœlorum capere* queunt. Hîc igitur dicere anima potest, *Dilectus meus mihi, & ego illi, & ad me conuersio eius*; hîc etiam diuitijs ac *delicijs affluens innititur supra dilectum suum* in mundi huius *deserto*. 3 *Reg.* 8. *Cant* 3. *Cant.* 8.

Sicut igitur prudentes mercatores celebriora frequentare solent emporia, quòd in illis quæstus spes sit vberioris: sic qui cum attentione mandatum illud Euangelici patrisfamilias dicentis, *Negotiamini vsque dum venio*, considerant, quique de sua sunt salute soliciti, sæpè ad mensam accedere debent Eucharisticam, in qua opulenti diuinarũ gratiarum distribuuntur thesauri. Ibi, inquit Ambrosius, peccata remittũtur & eraduntur, non secùs ac tabulę legis ad montis sunt radicem comminutæ; ibi inimicorum nostrorum inuisibilium non aliter potentiæ destruuntur, teste D. Ignatio, quàm visibiles olim à facie arcę fugiebant: ibi tentationes lentescunt & emoriuntur, ibi tenebræ haud aliter dissipantur, vt ait S. Bernardus, quàm nocturnæ ad solis exortum dispelluntur: ibi denique aduersus omnia mala medicamentum, alexipharmacum, & omnium bonorum complementum & apotheca inuenitur. *Luc.* 19. *Ambros. lib* 4. *de Sacram. cap* 4. *Epist.* 14. *Serm. de Cœna Domini.*

Atque vt regiones soli proximiores etiam odoratiores & redolentiores sunt; sic animæ, quæ frequentiùs hocce Sacramentum capessunt, crescunt in *bonum odorem Christi*, & tenacem quendam perfectionis solidæ colorem induunt; si *nigræ sunt* humilitate, non minùs *formosæ sunt* charitate. 2. *Cor.* 2.

Gratiarum suarum diuersitatem stellæ à sua ad radios solares admittendos dispositione mutuantur: ita eò animæ magis illuminantur, quò sæpiùs à *sole* illo *orientis* illustrantur. Statuite duos, inquiunt Theologi, in eodem meriti gradu ac discrimine, quoad virtutum operationes, constitutos; in cœlo tamen, vbi Sancti claritate ab inuicem distinguuntur, non secùs ac *stella* vna *ab altera* in fulgore *differt*, ille altero 1. *Cor.* 15.

multò erit rutilantior, qui sæpiùs mysterij Eucharistici factus fuerit particeps. quod ad frequentem nos communionem emouere quàm maximè deberet.

Corda nostra, quòd frequenter Saluatorem ijs inferamus, quæ antè siluestres erant trunci, recentia quædam & feracia fiunt arbusta, ad solidarum virtutum fructus ferendos peridonea. Vllumne adeò ferox animal est, quod non, modò benè commodeque habeatur, cicuretur? quodnam verò illicium, vel escam ad corda nostra ad pietatis studia mansuefaciendum potentiorem, quàm panem hunc viuum, cupiamus?

Verè inquam panem viuum, quem dum in nos ipsi conuertimus, in nos ipse côuertitur. hinc etiam scriptum est, quòd *qui hunc manducet, in Deo maneat, & Deus in illo*: non quòd ipsi Deum mutemus in nos, in-
Psal. 101. quit Augustinus; sed nos ipse commutet in se. *mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Sicut in incarnatione, vt docet S. Athanasius, diuinitatem ipse suam in humanitatem non conuertit, sed in diuinitatem humanitas transijt, non secùs ac ferrum ignem in se non commutat, suam illi grauitatem, obscuritatem, ac frigus communicando, sed in ignem id mutatur, illius & calorem & lucem in se attrahens.

Verè ergo hominibus non de vetito, sed de fructu
Genes. 3. vitæ comedentibus dici potest, *Eritis sicut Dij*: per
Ioan. 1. Sacramenti enim huius participationem *filij Dei* &
2. *Cor.* 3. dicimur & *simus*, semper *de claritate in claritatē* pro-
Ephes. 4. gredientes secundùm *mensuram plenitudinis Christi.* Per ipsum siquidem in candorem vestimentorum eius transfiguramur, sicut animalia in niuosis pascentia montibus paulatim albescunt; nec non in vultus illius splendorem, quòd nos *in* splendida *facie* sua *abscondat*: per ipsum vasa reddimur sacra, mysterij huius admirabilis sigillo consignata. Per sacramentum
Cant. 1. hoc *in sponsi introducimur cellaria*, vbi *inebriamur ab* *vberta-*

vbertate domus eius. Hic bonitatis eius ac beneficentiæ, ipsa degustata, amore accendimur, vti pictor ille pulchritudine amasiæ Alexandri, quam depingebat, captus scribitur. *Plin. lib. 35. c. 10.*

Vitis, quæ oleam ambit, huius tandem naturam post tempus aliquod induit, & vuas profert vnguinosas; quin imò Theriacum ferre vinum perhibetur, si priusquam surculi terræ inferantur, Theriaca inungantur. Quomodo ergo bonas sanctasque qualitates ipsi non induemus, si sæpè omnis boni radici ac stirpi nos vniamus? Vt qui sinistris vetitisque rebus affectus suos affigunt, *abominabiles fiunt sicut ea, quæ diligunt*; ita voluntas, quæ huiusmodi se obiecto acclinat, bona manet, dum in illud se transformat. *Osee 9.*

Pauones, qui in locis dealbatis oua excludunt, fœtus educunt albos: & virgarum Iacobæarum exemplum satis ostendit, quomodo obiectum suum rei det esse. *Accedamus* igitur *ad Deum*, fratres, & *illuminabimur*, & *facies nostræ non confundentur.* *Genes. 30.* *Psal. 33.*

Qui ægro maleque affecto sunt corpore, medicos frequentent necesse est: quàm, eheu! spiritualiter ipsi ægri sumus, & quotidie in relapsum & recidiuam procliues! Vobiscum igitur dispicite, quanta inuoluat commoda sæpè eum consulere, qui noster simul medicus est & medicamentum; cuius verbum, vti & caro, multò est aliquapiam herba vel malagmate efficacius: ipse enim vitæ simul & mortis habet potestatem, & ad *portas mortis deducitur & reducit.* *1. Reg. 2.*

Qui per pestilenti infectas lue regiones proficiscitur, amuletis sese, ad euitandum contagium, præmunire minimè negligit: aliquisne autem mundo est pestilentior, in quo tam varia obiecta totidem nobis sunt pedicæ atque offendicula, ad quæ offendamus, & in peccati prolabamur præcipitia? vnde ergo fatui aliqui

sese

sese excusant, quò minùs sæpè sacræ communionis participent, se nimirum nimis quàm profundè mundo immersos dicentes? an non *de suo ipsi se ore* cōdemnant, quòd, cùm suum fateantur morbum, illi tamen remedium adhibere detrectent, seipsos excusando accusantes?

Luc. 19.

Si, cui silua aliqua vel fretum latronibus ac prædonibus infestum pertranseundum est, aliorum vt plurimùm comitatum assumit, quò proficiscatur securiùs, optimis etiam sese instruit ad vim propulsandam armis. Cùm Saluatoris Iesu societas quidam sit exercitus (ipse enim assiduè multis Angelorum cingitur legionibus, & *sexaginta fortes Israel* veri *Salomonis lectulum*, id est, sanctam Eucharistiam, nūquam deserant) cùm ipse quoque armamentarium sit omnigenis armis instructum, nec non *turris Dauid*, è qua *omnis armatura fortium* ad Christianam militiam *dependet*, vnde fieri dicam, vt, cùm in hoc mundo *contra spirituales leonis rugientis & circumeuntis, vt nos deuoret, nequitias* nobis certādum sit, adeò ipsi in nos subtus alas Saluatoris nostri recipiendo negligentes simus? mirumne igitur, frequenter nos impugnari, interdum vulnerari, non raro etiam in tentationū conflictu iugulari, cùm & incauti opprimimur, & salutari hac armatura destituimur?

Cant. 3.

Cant. 4.

Ephes. 6.

2. Petr. 5.

Considerate, obsecro, fratres mei, animoque seriò voluite, vobis esse aliquando rigidam atque exactam de tot tantisque solennibus diebus sine sacra communione traductis rationem reddendam. Quotnam, eheu! animæ in mundo fame emoriuntur, ac desiderio languescunt eius, super quo ipsi ob nimietatem nauseamus! Plurimi commodè diuinum hoc frequentare Sacramentum possunt (vti tu imprimis Lutetia, quæ sacro *adipe & pinguedine* redundas quàm affluentissimè) & his deest sumendi voluntas: multi è contra summo ipsum appetunt desiderio, & eius accipiendi facultatem non habent. Respicite, eheu, tot Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, ac miseræ Galliæ nostræ loca,

loca, in quibus, etiam ſub vitæ amittendæ periculo, Catholicæ religionis exercitium interdictum eſt. quot, eheu! fratrum noſtrorum, ceu noui quidam Iobi, in terris illis Hus elanguent, qui nonniſi clanculo, magna quidem reſtrictione, ſed auiditate quadam incredibili ſacrorum horum myſteriorum participant! *Iob 1.*

Quando, Deus bone, immitem illam lego reſtrictionem & coarctationem, qua aduerſus ſanctam illam Heroinam ac Martyrem Mariam, Galliæ ac Scotiæ Reginam, tot annis in carcere detentam, & omni ſacramētorum vſu carentem vſi ſunt hæretici Angli, & ipſam comperio conſecratas hoſtias, quas clam alijs ſumebat, in pyxidibus aſſeruaſſe; quot miſeranda hæc retinentia mihi oculis lacrymas elicit!

Tu verò, magne Rex, è ſanctæ huius Heroinæ vtero progreſſe, quæ pium Catharinarum & Vrſularum exemplum ſecuta, vitā quàm religionem amittere maluit, collum ſuum & caput bis in terra coronatum barbaræ cruentæque ſubijciens ſecuri, quò tertium in cœlis ſibi diadema compararet, ſuo maiorum ſuorum fidem ac religionem ſanguine conſignans: tu, inquam, magne Rex, qui Boreali in mari latiſſimè dominaris, cuique nihil quàm verę deeſt confeſſio fidei, cuius tuendæ ergò tua ſanctiſſimè genitrix mortem oppetijt, filiali obſecro, & compaſſionis oculo illuſtrem illum reſpice ſanguinem, qui ad eandem te fidem, ob quam effuſus eſt, inuitat, quique ſaltem, donec propitiante Deo illumineris, te rogat, vt tot miſerorum Catholicorum, ſub dura eorum, qui naturali tua benignitate abutentes, ſuam Regiorum miniſtrorum nomine crudelitatem colorant, quò ſæuiant potentiùs, gemiſcentium tyrannide & ſeruitute te capiat miſeratio: tuo ſub ſceptro & imperio, quod nonniſi clementiam reſpirare debet, capitale minimè ſit, & læſæ maieſtatis crimē, hanc publicè profiteri fidem, propter quam illa, à quo eſſe tuum accepiſti, glorioſa adeò & illuſtri morte vitam poſuit. Da hoc obſecro, magne Coriolane, Vetruriæ huius lacrymis

ac sanguini, da hoc pietati, & da pietati illius, cuius in vtero, vt Augustinus olim, salem sapientiæ degustasti; itaque secundò generosi illius sanguinis & viuentis & mortui filius eris: viuens quippe vitam tibi dedit, quam in terra viuis, moriens verò in eius te reuidere cupit sinu, extra quam qui est, nullam in cœlo habere vitam potest. Nos autem, dilecti in Domino, magno animi feruore & studio Deum rogemus, vt fratres nostros Catholicos in Anglia ita oppressos consolari, & Principem illum simul & regnum illius ad veram reuocare fidem dignetur:

Nec non ex vniuersa hac homilia colligite, 1. quanta gloria, 2. quanta voluptas, 3. quæ commoda è frequentiori diuini huius mysterij vsurpatione vobis obuentura sint; vtpote in quo is sumitur, qui vnà cum Patre ac Spiritu paraclito viuit & regnat in sæcula sæculorum. Abite in pace.

IN OCTAVA FESTI VENERABILIS SACRAMENTI.

Rursus de frequenti communione.

HOMILIA VIII.

Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Ioan. 6.

APICVLAE nonnisi propter mel factæ videntur: nam propter mella sola volant, bombizant, operantur, per florida euagantur prata, in aluearibus manent, cellulas suas cereas construunt, laborant, sedulò operi inuigilant, rem dispensant, obediunt, ad bellum proficiscuntur, in certamen ardentes ruunt, denique nonnisi propter mel & vi-

& viuunt & moriuntur, nonnisi mel conficiunt, nonnisi mel comedunt, non aliud, quàm mel administrant, nonnisi apud mel nidificant, nec alia penitus pollent industria, quàm ad saccareum & dulcem hunc liquorem bene sciteque contemperandum. Mysticæ & spirituales apiculæ piæ sunt & deuotæ animæ; neque enim aliud illarum intentum, scopus, ac propositum est, quàm sacrum deuotionis mel in seipsis conficere, omnigenarum virtutum floribus eductum & collectum: omnium verò primarius & princeps flos, quin imò florum rex, præclarus ille *flos campi est, & lilium* illud *conuallium*, benignus inquam Iesus, in sacrificij Eucharistici areola consitus & residens: hinc sæpè eas ad optabilem hunc *honoris florem, & fructum honestatis* recipiendum ardenti studio properare cernimus: nam in suauissimo ac dulcissimo Leonis illius, iam olim pro peccatis nostris emortui, sed post resurrectionem semper viuentis & immortalis *gutture* fauos mellis reperiunt Hyblæo longè suauioris: hoc ipsæ mel vnicè concupiscunt, & ardentissimè desiderant, nonnisi ad ipsum recipiendum sese disponunt, non aliam se ob causam exornant, quàm vt eò digniùs in Assueri huius conspectum veniant, nulla alia de re sollicitæ sunt, quàm vt gratias eiusdem & charismata optimè dispensent, non alia de causa virtutum flosculis colligendis incumbunt, quàm vt huic Deo virtutum complaceant, *qui in omnibus* ipsas angustijs & afflictionibus *consolatur*. Ipsæ denique sacræ quædam sponsæ sunt, nunquam non ad suaues sponsi sui cælestis amplexus & oscula anhelantes. O beatas mentes, solum Deum spirantes, nonnisi in Deo sperantes, nonnisi propter Deum suspirantes, & ad Deum solum aspirantes! Quàm porrò tu, ô mysterij Eucharistici frequentatio, amabilis es, quàm desiderabilis! Tu mihi da, Domine, aquam hanc ardenter sitire, quæ cùm satiat,

Cant. 2. *Eccli. 24.* *Iud. 14.* *Esth. 2.* *2. Cor. 1.*

satiat, nouum simul sui appetitum excitat; da vt quotidie magis ac magis te amare desiderem, & te desiderare amem: *tu enim totus es desiderabilis.* Ex *hac* nimirum *aqua*, è viua petra, quę Christus est, prosilien-
Ioan. 4. 1. Cor. 10. te *qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: Vt enim Euangelicus docet contextus, *qui man-*
Ioan. 7. Num. 20. *ducauerit carnem filij hominis, viuet in æternum.* Qui
Gen 16. hanc in se habuerit, *fluuij aquæ viuæ de vētre eius fluent.*
Iudic. 15. Hæc aqua petræ Mosaicæ est, ad quam Israelitæ omnes potantur, fons est Agar, quiq; elanguidos Ismaeles reuigorat; maxilla est, Samsones sitibundos & præ siti propè morientes recreans & potans. Huc opē tuam, ô riuuli huius cęlestis scaturigo, *tu* inquam Ma-
Cant. 4. ria gratia plena, *fons hortorum signate, putee aquarum viuentium*, quæ *ruunt impetu de Libano*, adferto. *Aue Maria.*

Quæ heri de frequenti communione apud vos, dilecti in Domino auditores, disserui, theorica & speculatiua fuêre duntaxat, ac illorum, quę hodie dicere decreui, quibus sacri huius exercitij praxim complectar, præparatoria quodammodo ac præambula: materia necessaria est, ne dicā vtilissima & maximi momenti, cùm in ea de legitimo fructus huius vitalis, peregrinationis nostræ viatici, ac panis viui, qui ad æternæ beatitudinis montem Oreb nos conducit, vsu dicturi simus. Ceterùm si vllo in argumento, in hoc certè non inscitè & indecorè hoc præmitti præludium potest;

Mille hominum species & rerum discolor vsus:
Velle suum cuique est; nec voto viuitur vno.

Vt ergo aliquem in tāta illa monitorum, quæ hìc necessaria sunt, copia, pro personarum, è quibus numerosum hoc auditoriū cōstat, vario discrimine, ordinē ac methodum seruemus; statui ipse mecū, frequētem diuinæ huius escæ vsum proponere, 1. è circumstantia personarum, 2. è temporis, tertio deinde loco & hanc homiliam, & vniuersam hanc solennium octauam concludam, ostendens quàm imprimis nos necessa-

cessarium sit sæculi huius ferrei & glacialis frigus per frequentem salutaris huius mysterij vsurpationem accendere.

Ipso igitur in principio, quoad personarum circumstantiam, denũtio, me, vt ijs, qui sua auditorium hocce præsentia cohonestant, sermonẽ accommodem & attemperem, in singularem veluti classem cõijcere atque à reliquis sequestrare eos, qui religiosam vitam profitentur, homines inquam penitus Deo consecratos ac dedicatos, ac proinde non *diuisos*, vti illi, qui in mundo sæcularem & communem quandam vitam ducunt. Pulchræ illæ & puræ animæ, cælestis sponsi obsequijs penitus deditæ, nunquam satis sæpè mysteria hæc sacra frequentare possent. habent siquidẽ omnes ad hoc necessarias dispositiones: cumq; Dei totæ sint, cur non vicissim Deus totus ipsarum sit? adhæc illarum se is etiam arbitrio permittit, ipsæ quoque suauissimæ ac blandissimæ illius sunt sponsę; quibuscum, ceu cum amicis intimis & familiarioribus, quàm amantissimè sese oblectat ac deliciatur. O beatas animas, quæ idcirco deseruêre omnia, vt quietiùs ac tranquilliùs eum, qui omnium omnia est, possiderent, & continenter velut amantes quædam Mariæ, ad Dominici altaris pedem consident! animas inquam Angelicas, quæ nonnisi Dei pascuntur substantia, & *rore* cælico, *qui germinat saluatorem!* Viuite itaque felices ac contentæ, ô piæ mentes, nobisque & admirandi & imitandi quidem obiectum estote, non tamen docendi argumentum: vestrum fas sit exemplum amare eos, qui vitæ cuiusdam inferioris compedibus illigati, vos in generoso hoc vitæ, quam inijstis, proposito sequi nequeunt; de qua scilicet scriptum est, *Qui potest capere, capiat.*

1. | *1. Cor. 7.* | *Isaia 45.* | *Matt. 19.*

Sed illos potissimùm animus est alloqui, qui vitam quãdam communem professi, illam dumtaxat, quam ciuilem dicimus, ciuili ac sæculari vitę conformẽ deuotionem sectari queunt. Omnibus igitur omnis status & conditionis hominibus qua possum voce inclamo,

Isaiæ 58. mo, & quasi *tuba* Euangelica *exalto vocem meam*, ipsis pernecessarium esse, sanctissimam communionem sæpius inire. Manna, quod sacri huius conuiuij symbolum erat, an non omnibus in genere Israelitis in cibum cedebat? Hic Sacramentorum sol vniuerso quà *Matt. 22* patet lucet orbi. Pauperes iuxtà ac diuites, sani æquè ac imbecilles, qui per compita & plateas inambulabant, deniq; quotquot indiscriminatim occurrebant, nónne in parabola Euangelica ad nuptias inuitantur? Ita sanè. modò nuptialem charitatis vestem habeamus, modò per sacram simus confessionem expurga- *Matt. 14* ti, & ab omni ad peccandum affectu liberi. Hic panis est famelicorum, quem Redemptor quotidie prodigiosè multiplicat, quique in mundi huius deserto nunquam imminutus distribuitur. Quin imò magnus paterfamilias nos vrget & cogit, vt ad sa- *Luc. 14.* crum hoc eius conuiuium veniamus, & ibi reficiamur.

Pauperes huc sæpe veniant oportet, vt diuitias hic *Psal. 118.* sibi comparent, *super aurum & topazion* pretiosiores: diuites verò, vt adulterinum suum temporalium au- *Matth. 6* rum in æternum & obryzum commutent, & *thesaurizent* sibi *thesauros in cœlo*, qui nunquam deficiant. Magni, vt magis extollantur & euehantur apud illum, qui ipsamet magnitudo est, & magnitudo infinita: parui verò, vt è sua hìc humilitate paulatim ad altiora emergant. Felices, vt suam hìc prosperitatem solidiorem & cõstantiorem reddant: infortunati autem ac miseri, vt aliquam suis hìc in tribulationibus cõsolationem accipiant. Fortes, vt in suo vigore permaneant: pusillanimes verò & debiliores, vt corroborentur. Denique mente animoque omnes omnium, qui in terra sub Ecclesiæ militãtis insignibus merent, qualitates ac conditiones percurrite, & veluti certis- *2 Tim. 4* simum habetote, neminem *legitimè* posse *certare*, aut *2. Tim. 2.* suum feliciter *cursum consummare*, qui nõ hac arma- *Ephes. 6.* tura fuerit communitus, & hanc sæpè *loricam iustitiæ* sibi accinxerit.

Vos

Vos verò, ſacerdotes & clerici, fratres mei in Chriſto venerabiles, agminis anteſignani eſtis, veſtrumq́ue eſt in vitæ huius Iordane pertranſeundo duodecim tribubus præire, arcam Teſtamenti geſtando. *Sicut populus ſic ſacerdos*: vita veſtra ceu ſpeculum eſt, ad quam ſuam ille componit; vos exemplar ac prototypon, ad quod ſe fingit; vos norma, ad quam ſe adaptat ac dirigit: ad veſtri denique imitationem vel ad vitam properat, vel in mortem ruit. Memineritis, ô ſacerdotes, *gratiæ, quæ* vobis *data eſt per impoſitionem manuum*; & hæc *gratia in vobis* vana aut *vacua non ſit*: Memineritis quoque parabolæ illius terribilis de talentis erogatis: inter cetera quidem poteſtatem accepiſtis conſecrandi quotidie corporis & ſanguinis Dominici, & incruenti huius ſacrificij Patri æterno offerendi. Per Deum igitur vos obſecro, ne terræ id infodiatis, ſed *manus* veſtræ *inſtanter* conſtanterque *operentur*, quodcumque *facere* & *poſſunt* & debent. Sacerdos, vt quidē Venerabilis Beda docet, quotidie, non legitimè impeditus, celebrare negligens, SS. Trinitatem priuat gloria, Angelos gaudio, Eccleſiam theſauro pretioſiſſimo, defunctos ſolatio, ſeipſum denique mirifico quodam bono.

Ioſ.3. *Iſaiæ 24.* *2.Tim. 1.* *1.Cor.15.* *Matt.25.* *Eccleſ. 9.*

Quam ſancti huius ſententiam vos velim pluſquā tertio attentè perpendere, ſimulq́ue cauetote, ne in eas, quas ipſe proponit, negligentias prolabamini, negligentias inquam craſſas & ſupinas, quæq́ue apud Deum, Angelos & homines reprehenſione digniſſimæ ſunt. *Gen.14.*

Cogitate, Melchiſedecum, ſecundùm cuius ordinem & ipſemet Saluator Ieſus ſacerdos eſſe, & vos itidem eſſe voluit, quotidie panem & vinum, quæ quotidianæ veſtræ oblationis figura ſunt, Domino obtuliſſe. Mementote, hunc ignem, quin imò *Deum ignitum* eſſe, quem Pater æternus continuò in altari ſuo ardentem vult & collucentem videre, Sacerdotibus ac Leuitis ſæuerè indicens,

Leuit. 6. *Deut.4.*

vt eum aſſiduè ſubiecto fomite alerent, neue vnquam intermori ſinerent. Miſeri verò vos futuri eſtis, ſi ſub
2. *Mac.* 1. infortunatis peccatorũ vinculis vos captiui ipſum iñ negligentiæ veſtræ puteo, & impunitatum cœno defodiatis.

1. *Cor.* 7. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt*, ait magnus Apoſtolus, *in ea permaneat*, & quæ ſuæ ſunt partes, exequatur: veſtræ ſunt vacare altari & ſacrificio: qui ergo Deo dedicatus eſt & militat, faciat quæ Dei ſunt,
2. *Tim.* 2 nec ſe *ſe negotijs implicet ſecularibus qui multum acceperit, multum etiam requiretur ab eo*. Quodnam verò dignius ampliuſque vobis cõferri queat munus, quàm filij Dei vnigeniti corpus & ſanguinem conſecrare?
Ierem. 48 & vos illud negligetis? Quàm verò ille *maledictus, qui facit opus Dei negligenter! Accipite poteſtatem*, ait Epiſcopus, dum vos ad hoc munus ordinat, *offerendi ſacrificium Deo*, &c. Ignoratis verò vanam eſſe poteſta-
Zach. 11. tem illam, quæ ad actionem non dirigitur? *O paſtor, & idolum derelinquens gregem!* neq; enim magis ei ſeruis quàm idolum. Qui enim quæ ad profeſſionem ſuam ſpectant, non exercet, verè idolum eſt, hominis quidem formam præferens, homo tamẽ reuera non exiſtens. Vos enim, ô ſacerdotes, qui accepta poteſtate reipſa nõ vtimini, manus quidem habetis, ſed quæ nihil operantur: adminiſtrare quidem poteſtis Sacramenta, ipſum tamen negligitis, quid igitur eſtis aliud quàm idolum? Bene quidem, mihi dicet ignauus aliquis, qui quò minùs ſuo ſatisfaciat debito, & ſemper in ſua proſerpat deſidia, (ne peius quid dicã) aliqua quæritat effugia: Minimè ſum dignus, qui quotidie Dominicum libamen hoc ſumam. Sed huic reſpondeo, Dignũ te redde frater mi, nihil quippe te panis huius quotidiani manducatione indignum poteſt reddere, quàm peccatum & vita flagitioſa. Ceſſa malè facere, & diſce bene facere, iniquitate egredere, nec non affectus erga eandem exue: ſunt hi namq;
Iſaia 46 infelicis huius domicilij propylæa: *Redi ad cor* tuum: Angelicum, quem amplexus es ſtatum, conſidera: noli

noli *retrospicere* aut regredi, ne fortè maledicaris à Domino: dignum te redde, qui ministerium exerceas, cuius sacrum characterem accepisti: destinatus es, dilecte frater, ad functiones cælestes, ne igitur reculis terrenis sordidè adhærescas. Præter peccatum, & animi erga ipsum inclinationē, quod impedit, ne quotidie ad altare accedas, aliæ, quas allegas, humiliationis sunt indignitates; non tales porrò, quæ tam insignem effectum impediant. Ceterùm notare te velim, quòd quamuis imperfectionibus tuis fieret, vt sacra tibi communio inutilis esset, ac nullum fructū afferret, (quod nonnisi rarissimè alioquin contingere potest) semper & Ecclesia, & viui æquè ac mortui sacrificio tuo indigeant: illos igitur tanto noli frustrari bono. *Luc. 9.*

Vos autem puellæ, atque imprimis vos, virgines integræ, pulcherrimus Ecclesiæ flos, & illustrissimum ac pretiosissimū gregis Dominici peculium; si in sæculo agentes, ad terrenas nuptias vel ipsæ aspiratis, vel à parentibus destinatæ estis, interim dum commodas dignasque exspectatis, sæpè ad sanctum immaculatumq; animarum mundarum sponsum Christum accedite. Erit ille fidelis *custos* ac protector *virginitatis* vestræ, incorruptas vos ipse custodiet, in medijs vos tentationum exagitationibus cōseruabit intactas, vosque corde simul & corpore ad æmulationem mundas primo marito vestro reddet: *ponite* hunc *vt signaculum super cor* vestrum, vt ipsum ab ijs, quæ irrepere possent, impressionibus imaginationibusq; parum castis tueatur: super hunc Agnum castum dormite, & omnes quæ castitati aduersantur illusiones ilico dissipabuntur. *Iesus corona virginum* est; sæpè igitur vestra florido sanctæ communionis serto corda redimite: vos quippe, quemadmodùm fructus & tenelli & delicati solent, in sacro hoc saccaro conseruari par est. *Ierem. 3.* *Cant. 8.*

Vos verò viduæ, quibus generosa & forti quadam castitate, ad ipsas etiam licitè præteritorum actuum

imagines repellendas opus est, in frequenti mysterij huius vsurpatione tam offensiua quàm defensiua aduersus impugnantes aduersarios arma reperietis. In terra maritum amplius non habetis; igitur quàm potestis sæpissimè ad cælestem vos applicate. Hoc ipso loco libenter vsurpare & accommodare vellem illud
1. Cor. 7. *tantùm in Domino*, quod magnus Gentium Apostolus Corinthijs perscripsit. Quando Luna in ea parte, qua terram respicit, defectum patitur, tum in ea, qua soli obuersatur, luminosior & plenior est. Vela illa lugubria & pepla quæ gestatis, satis ostendunt iucũdos & amœnos dies vestros in terra iam præterijsse; igitur
Iac. 1. in cœlum mentem erigite, & *Patri luminum* vos con-
Psal. 67. iungite: Non sine ratione Deus *viduarum* se *Deum* ac
1. Tim. 5. *iudicem* appellat; sed nonnisi illarum, *quæ verè viduæ sunt*, non verò falsarum illarum & comptularum, quę tantùm quoad corporis voluptatem, non verò animi
Luc. 2. voluntatem viris orbatæ sunt. Imitemini igitur piam illam viduam Annam, quæ, sicut senex ille Simeon, cũ multo tempore in templo ieiunijs & orationibus institisset, suis digna reddita est vlnis Saluatoré Iesum constringere. Similes estote matronis illis antiquis, quæ specula sua, ceu anathemata quædam & vanita-
Exod. 38. tis exuuias in templo suspendebant, vt posthac diuino cultui ad tabernaculi ostium incumberent.

Quanquam verò, ô coniugati, qui occupationibus domesticis ac familiaribus pedicis compediti estis,
1. Cor. 7. *diuisi fitis*, vt quidem Apostolus loquitur, vos tamen ad mysterij huius vnionem sępè inuito; sæpè inquam. Nemo verò mihi veterum illorum sacerdotum abstinentiã commemoret, vt inde ad legem gratiæ, amoris
Ibid. & suauitatis exemplum trahatur. Scio id Apostolum consuluisse, *vt orationi* ad tempus *vacetur*; sed consilium id est, non præceptum. Equidem quàm ineptas hasce & absurdas allegationes detestor, quæ & conscientias torquent, & scrupulosas animas diuexant, satis alioquin ab interioribus terriculis exagitatas! Certę indęcens est, non tamen vetitum, festo de-

bitum

bitum quoddam die exigere; sed id soluere præceptum est, quocumque demum die petatur. quid velim, satis vos arbitror intelligere. Rem hanc & grauiter & modestè tractemus. Bene quidem, mihi timorata quædam respondebit conscientia; sed, quomodo fecit Achimelech, antequam panes propositionis daret Dauidi? Rursus obijciet audacior & resolutior aliquis, Sibine ipsi Dominus aduersabitur, & anne Sacramenta inter se incompatibilia reddere vultis? Eucharistia maximum & summum Sacramentum est, Matrimonium verò *magnum Sacramentum est*; cur igitur alterum ab altero impeditur? Quàm illos abominor & detestor, qui iustum & beneuolum matrimonij actum ita intelligunt & infatuentur, vt brutalem & fornicatorium, qui extra sacrum hoc vinculum committitur? Hinc procul hinc sinistræ mentes; discite sanctè loqui & cogitare de eo quod sanctum est, de eo quod Sanctos procreat, quod deniq; in sanctificatione possidetur: paucis vt dicam, discite de Sacramento, & magno quidem Sacramento Sacramentaliter cogitare. Nodum in scirpo quærere est, circa hosce apices hærere: ac memineritis velim, primigenios Christianos, quamquam laicos, quotidie sacras epulas inijsse; erant tamen coniugio innexi, & filijs beabantur: non quòd ad quotidianam vos communionem inuitem; sed hoc ad temporis spectat circumstantiam, quam suo excutiemus loco.

1 Reg 21.

Ephes. 5.

Illos porrò, qui ciuile vitæ genus sectãtur in sæculo, rursus in tres classes ceu genera distinguo: primos simpliciter voco Christianos, secundos Deuotos, tertios denique, quia alijs sunt eminentiores & digniores, Spirituales nuncupo. Per primos illos intelligo, qui fidem Christianam quidem habent, nulla tamen opera; quibus id solenne in ore versatur, *ad minimum semel in anno*; aut potiùs Christianos illos, quos veteris appellare legis possumus, secta-

toribus sui iniungentis, vt bis aut ter in anno ad templum abeuntes Domino sese sisterent, vti hi ad sacram Eucharistiæ mensam accedunt; cor quidem ita occupatum habentes, si non à peccato, saltem à peccandi affectu, vt mox festi solennitate præterita, in priora relabãtur flagitia, & quę euomuêre, fœdè resorbeant. Miseri sanè mortales, qui intellectum quidem à fidei veritatibus habent illustratum, voluntatem tamen nullo modo ad bonũ inclinatã vel accensam, & super
Psal. 105. manna sapidissimo nauseantes, quique *vt nihilum habent terram desiderabilem*, *tepidi*, & proinde digni, qui
Apoc. 3. *ex ore* Dei *euomantur*. Quàm, eheu! numerus hic & classis numerosa est!

Secundi generis illos statuo, qui ad mandatorũ diuinorum præscriptum viuere allaborant, & *suaue* &
Matt. 11 *leue* illud *iugum* libenter in humeros tollunt; qui malum abominantur, nec vllo erga ipsum modo afficiũtur; bonum quoque diligunt, tametsi tepidè paruoque cum ardore ipsum exerceant; qui simplices adhæc sunt, benigni, fideles, & in instituti sui munijs atque exercitijs accurati. Beatæ animæ quæque ob honorem vitiorum, & virtutis amorẽ, permultum me-
Ioan. 1. rentur: boni *Israelitæ*, *in quibus dolus non est*; hinc etiam sæpè Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ vsurpant, & in salutis via versantur.

Per tertios vel spirituales intelligo illos, qui non modò Catholicam fidem profitentur, & piam ducunt
Psal. 54. vitam, sed qui etiam *columbæ* vel *aquilæ pennis assum-*
Isaiæ 40. *ptis* ad quietem contemplationis euolant, & *volant, &*
Ezech. 1. *non deficiunt*, *semper coram facie sua ambulantes*, vt
Philip. 3. animalia illa Prophetæ, ad ea, quæ priora sunt, se ex-
Psal. 83. tendentes, & ascendentes *de virtute in virtutem, vt videant Deũ deorum in Sion*. Hi sunt, qui pietatis exercitia maiori feruore, zelo & affectu vsurpantes, in mystica se quoq; Theologia, oratione scilicet, exercent; in qua ea offendunt lumina, & claritates, quorũ adminiculo in diuinis semitis rectiùs medias per sæculi tenebras gradiuntur. Has porrò illuminatas & acutũ

viden-

videntes animas sine controuersia vlla sæpiùs alijs diuina inire mysteria oportet. Atque hæc de personarum circumstantia dicta sunto.

At scio plerosque vestrûm auidè exspectare, & sancta quadam impatientia anhelare, vt etiam tantundem de temporis dicam circumstantia; & ad hanc me secundum quod proposueram punctum inuitat; ad quod tanto vobis satisfaciendi venio desiderio, quanto præuideo ipsum exequi esse difficilius. Vt enim verum fatear, res non est, quę tam facilè in generali definiri queat: quod tamen in suggestu dicitur ad omnes est & vniuersale. atqui Sacramenti huius frequentandi consilium, iuxta interiorem cuiusque singillatim statum, dari debet; & sicut hic status aliquãdo intenditur aliquando remittitur, quòd *homo* variè miser, rarò *in eodem statu permanet*: ita hæc frequentatio iuxta varietatum & qualitatũ harum spiritualiũ discrimen moderanda est. ordinatim tamẽ hic procedamus, quò meliùs omnia & exactiùs nouerimus. II. Iob 14.

Annua communio sub pœna peccati ab Ecclesia indicta est; idcirco, quod ab eadem sic mandato iniunctum est, minimè est à nobis repetendum & inculcandum. Ceterùm insignis in fidem foret error, in controuersiam reuocare, num hæc Dei sponsa, cara mater nostra, huiusmodi ad filiorum suorum bonũ commodumq́ue condere queat leges, cum perpetuò Spiritus sanctus illi assistat, qui per os ei⁹ loquitur: porrò *qui ordini resistit, Dei ordinationi resistit*. Vnum hoc dicam, lege hac nonnisi lentas vecordesq́ue oues teneri, quæ violenter quodammodo & coactè *intrare* in pascua *compelli* debent. Homines malè nati, qui, ceu mancipia triremibus addicta, nonnisi fustigati remigant; quique è peccati lethargo, quo oppressi iacent, nunquam nisi ab alijs vellicati & compuncti, resurgerent. Mali quoque debitores sunt, qui nõ aliter quàm ab apparitore citati, creditori satisfaciunt. *Hilares* seruos *diligit Deus*, & *sacrificia* quærit *voluntaria*. Vini liquor primus & meracus, qui etiam non Rom. 13. Luc. 14. 2. Cor. 9. Psal. 50.

 pres-

pressus spontè vua emanat, sapidissimus est; & myrrha prima, quæ ex arbore non confricta, nec incisa diffluit, aliâ est odoratior ac pretiosior. Quis vestrûm eum magni faciat famulum, qui nonnisi compulsus obsequia præstaret? Abiectorum & culpæ reorum est, ad iudicem violenter obtorto collo rapi; generosi & innoxij liberè eôdem se conferunt, non se rapi sinunt. Qui non aliter ad sacram communionem accedunt, quàm vt in Paschate religionem hoc pacto suam testentur, vti verò destituti sunt amore, ita etiam miseri sunt; & ipsa illorum opera satis ostendunt, quàm exigua sit ipsorum pietas.

Sunt alij, qui paulò magis, non de pietate, sed de bono laborantes exemplo, satis habent ter quaterve per annum, in præcipuis festiuitatibus, ad sacram hanc mensam adire. hi Deo per quadrantes seruire velle videntur: hos verò omnes in trium illarum, quas modò dicebam, classium primam relego.

Quos verò in secundam conieci, & apud quos aliquo pietas loco est, ijs, meo iudicio, vltra annum lunarem, id est, mensem, sacra hæc synaxis differenda non est, præterquam quòd primarijs in anno solemnijs ab Ecclesia indictis eadem etiam vsurpanda.

Apoc.22. Itaque similes futuri sunt arbori illi Apocalypseos, quæ duodenis per annum vicibus fructum fert. Sic Sacramentorum hic sol duodecim mystici ipsorum Zodiaci circuli mansiones per annum permeabit.

Hebdomadariam verò communionem S. Augusti-

2.Tim.3. nus indifferenter omnibus consulit, *qui piè volunt viuere in Christo*, & reuera is Ecclesiæ communis videtur esse sensus, quæ ob Christianorum in sacra hac mensa adeunda tepiditatem ac frigiditatem coacta quodãmodo est, panis benedicti in Missis parochialibus diebus Dominicis benedicendi ritum instituere, qui panis filijs eius ceu symbolum & tessera vnionis est. Par est igitur & consentaneum, eos qui deuotioni & pietati intimiùs student, nullam elabi

hebdomadam sinere, qua non de venerabili hoc Sacramento participent. Diebus ergo Dominicis pane hoc Dominico, pane Domini, pane qui ipsemet Dominus est, sese reficere debent: præterquã diebus Dominicis, ijs etiam mẽsam hanc diebus festis frequentare poterunt, quibus id directores & patres spirituales faciendum suaserint.

Quotidianam verò communionem passim cuiuis, vti imprudentiæ insignis foret consulere; ita & intolerabilis esset impudẽtiæ, indistinctè sugillare. Equidem censeo, sacerdotes, qui in sæculo agunt, ac præsertim Prælatos, legitimè sese excusare non posse, quò minùs quotidie celebrare teneantur: nam vt particularem ipsorum taceam è communione fructum, sacrificium eorum communem ac publicam Ecclesiæ necessitatem respicit, quæ nullo non tempore eo opus habet. Si igitur hi quotidie non celebrent, non simplex quidam pietatis defectus est; sed quædam, vt arbitror, tam erga viuos quàm mortuos, pro quibus *oblationem mundam & sacrificium iuge* offerre eos par est, impietatis & crudelitatis species. *Malac.* 1. *Dan.* 8. Vt quis verò quotidie communicet, dico, non à peccato modò eum immunem esse debere, sed aliquem etiam in imperfectionibus superandis iam debere progressum fecisse. Quis verò non videat, suæ sacerdotes conditionis ratione etiam longiùs in perfectionis via teneri procedere? Quoad laicos verò; in quibus hæcce dispositio appareret, cõmodè sanè definiri non potest, quibusnam eorum quotidiana hæc communio indulgenda sit; adeò vt magno sit hic opus iudicio. Viduas certè & virgines conuenientius semper est eam frequẽtare, quã coniugatos, tametsi alioquin multos reperire sit cõiugis nexu innodatos, qui pluribus maioribusq; donati sint virtutibus. Crederẽ igitur generatim loquendo, nihil tamen certi hîc determinando, animabus non deuotis modò, sed etiam spiritualibus, & quæ aliquod in rebus spiritus lumen habent, ac profecêre, imprimis vtile fore, si omnibus

Domi-

Dominicis festisq; diebus ab Ecclesia indictis & præscriptis cõmunicent; ijs verò hebdomadibus, in quibus nulla occurrunt festa (quod tamen fit quàm rarissimè) feria quarta diuinas epulas adeant. At vt quis sæpiùs accedat, pro sæculi, quo viuimus, malignitate concedere non ausim, nisi selectis fortè quibusdam hominibus, atque ijs etiam maturè antè examinatis.

Sanè Ecclesia, vt quidem è sancto Concilio Tridentino manifestum est, velle videtur, vt diuinissimũ hoc Sacramentum sæpissimè frequentetur; cùm declarat, optandum fore, ita dispositos fideles omnes esse, vt in ijs, quibus intersunt, Missis communicare possent; nullum tamen rei huius condendo præceptum, sed simpliciter tantùm consulendo. *Quare non ita*, ait
Act. 2. Ambrosius, *vitam instituimus, vt quotidie panem quoti-*
3. Reg 19. *dianum & supersubstantialẽ sumere digni simus?* idq; ad maiorum nostrorum, primorum scilicet Christianorum, imitationem, qui *perseuerantes erant in oratione & fractione panis* huius cælestis. Manna, panes propositionis, panis Eliæ (quæ omnia veritatis huius figuræ fuêre) quotidie in vsu erant, & quotidie sumebantur: vmbræ igitur auidiùs ac sæpiùs expetantur, quàm ipsa lux? Cur, eheu! *fame consumeris domus Israel?* quare peccati morte morimur, cùm fructum & remedium vitæ adeò obuium sit & in manibus quodammodo nostris versetur? cur non tam frequenter hoc peccati alexipharmacum vsurpamus, quàm suum Mithridates antidotum? *An nõ anima plus est quàm*
Luc 12. *esca, & corpus plus quàm vestimẽtũ?* Sicut igitur foret temerarium, pro sæculi nostri miseria quotidianam cuiquam communionem consulere, nisi fortè aliquibus puris, & quas antè bene probaris, animabus; ita, quòd forsan minimè desint, qui idoneas ad hanc qualitates habebunt, magna & euidens impudentia foret, aliquem ob sanctum adeò opus reprehendere, & in culpabilem esset Pharisæi sanctam illam pœnitentem, quòd Dominicos pedes vnguento lineret, sugillantis obtrectationem incidere. Dicamus itaque

cum Apoſtolo, *Qui manducat* ſæpè cibum hunc cæle- Rom. 14.
ſtem, *non manducantem* ex humilitate non ſpernat: *&*
qui non manducat & abſtinet ex humilitate, *mandu-*
cantem ſæpius verbis obtrectatorijs *non iudicet*; ſatis
habens, ſi piam hanc frequentationem laudare no-
lit, eandem non reprehendere, prout ſuaſit Auguſti-
nus; quam illius ſententiam B. Catharina Senẽſis ſci-
tè admodũ in eum, qui per hanc quotidianam illius
carpere communionem nitebatur, retorſit.

Non ignoro autem, quoſdam eſſe, qui libenter in
extrema tendant, & volare ſine alis cupientes, myſte-
rij huius (quòd ſenſibili quadã deuotione, cui amor
quidam proprius immiſtus ſit, eò ferantur) ſæpiùs
participes reddi velint, quã verè capaces ſunt: *æmu-* Rom. 10.
lationem habentes, ſed nõ ſecundùm ſcientiã quiq; fre-
no potiùs indigent, quàm calcaribus: in quo diſcipu-
lo illi Antiſthenis perſimiles illos iudico, ita mordi-
cus præceptoris ſui ſermones tuenti ac dogmata vt
ab eiſdem auelli nõniſi violenter poſſet: nec non pue-
ris ita vberum maternorum auidis, vt propè ablacta-
ri nequeant, tametſi iam tempus inuitet & ſuadeat.
Atque vt apes adeò ſe floribus replent & infarciunt,
vt fœtum excludere ſuum obliuiſcantur: ita ſæpè fie-
ri videmus, vt permulti, quibus frequentiùs commu-
nicandi ſit facultas, quæ ſuarum ſunt partium & offi-
cij obliuiſcantur; ita quidem in contemplationem
diuinorum abſorpti, vt actionem, ad quam ex debito
obligantur, negligenter agant: atque hæc inordinata
quædam deuotio eſt. Ac veluti ſaccarum, tametſi ſa-
pidum vt quod maximè, ſi nimiùm comederis, in ſto-
machis nonnullis malè diſpoſitis vermes gignit, ita
in aliquibus minùs perfectis nimia diuinorum my-
ſteriorum participatio vel ſcrupulos procreat, vel
occultas quaſdam ſui complacentias & vanitatulas,
quas diæta aliqua & abſtinentia tolli neceſſe eſt. Sed
hæc omnia confeſſariorum prudentia & diſcretione
dirigi ordinarique oportet, quorum hac in parte mo-
nita conſiliaq; pijs oraculorum inſtar habenda ſunt:
ſcri-

Malac.2. ſcriptum eſt enim, *Labia ſacerdotum cuſtodire ſcientiam,* & *legem ex ore eorum requirendam eſſe.*

III. Si porrò oculos in mala, à quibus impetimur, & miſerias, quibus vndiquaque premimur, conijciamus; facilè videre eſt, quàm nobis frequens hęc communio neceſſaria ſit, cùm *Deus noſtrum* ſit *refugium, & virtus, adiutor* noſter *in tribulationibus, quæ nimis* quàm *nos inuenêre.* Quis æger ſanitatem non quærat? vnde ergo adeò ipſi cæci ſumus, vt tam raro ad eum confugiamus, qui noſter eſt medicus, ſimul & medicamentum? ad eum inquam, qui *noſtros languores tulit, & dolores,* quos noſtris ipſi offenſis promeriti eramus, *portauit*? *Pſal.45.* *Iſaiæ 53.*

Quantum id eſſe beneficium aulicus & palatinus quiſpiam crederet, ſi, quotieſcumque luberet, ſuum alloqui Principem ſibi liceret? qui Regum aures & animos occuparunt, gratiaque apud eos valent familiari, quanti fieri ab omnibus vulgò ſolent? quàm porrò ipſi beati ſumus, qui ſalutis noſtræ negotia cum illo, *ſub quo curuantur, qui portant orbem,* adeò facilè & frequenter in Venerabili hoc Sacramento tractare poſſumus! Miror ſanè *nimia charitate,* quam *Chriſtus* Dominus nobis hic oſtendit, non magis efficaciuſque corda noſtra *vrgeri*, vt ſuam fonte hoc vitali ſitim reſtinguant. *Iob.9.* *1.Cor.5.*

Mirumne igitur, in ijs, quæ ad diuinum ſpectant cultum, adeò nos frigidos & inſenſibiles eſſe, cùm tam raro ad ignem hunc cæleſtem accedamus; in quo *carbones* extincti *redaccenduntur*? & animas noſtras hectica tabe macreſcere & languere, cùm tam parum *adipe frumenti ſatientur* ac reficiantur? Si tam tenuis appetitus noſter corporalis foret, periculoſi id morbi ſignum & mortis proximæ iudicaremus. Illane ſuum vxor diceretur maritum diligere, quæ non niſi ſemel per annum illum alloqui vellet? Metuendum ſanè eſt, ne ſuam aliò Deus vineam transferat & migrare faciat, cùm illius fructus ita paſſim negligatur; vel ne *alijs eam locet agricolis*, qui eam me- *Pſal.17.* *Pſal.147*

liùs

liùs excolant, & vberiores inde botros colligant. *Matt.21.*
Nunquid solitudo factus sum Israeli? queritur apud Ie- *Marc.12.*
remiam Dominus, quòd *via Sion lugerent, & nõ essent* *Ierem.2.*
qui venirent ad solennitatem. *Thren.1.*

Crediderim sanè inter hæreseos immissæ, à qua ita premimur, causas non postremam esse, exiguum Sacramentorum vsum, cùm frequentiori illorum vsurpatione eam in ijs iugulari opprimique videamus locis, in quibus ea crebriùs adhibentur.

Eia igitur, fratres, ad sacrum hoc posthac recurramus asylum & ad *mensam* illam, quam in domo sua *parauit* Deus *aduersus eos, qui tribulant nos: attendamus ad petram vnde excisi sumus*, & *lapidi* huic viuo, *Psal.22.*
angulari, fundamentali nos vniamus; huncque in *Isaia 51.*
cordis nostri nido ponamus, vt à peccati veneno præ- *Ephes.2.*
seruemur, sicut suo aëtitẽ lapidem aquila imponere solet, quo à noxijs serpentiũ morsibus fœtus tueatur.

Quod in Canticis vulgò legitur, *Osculetur me osculo*, ex Hebraicis fontibus, & interpretib. Græcis verti *Cant.1.*
potest numero multitudinis *osculis*; quod animæ verè amantis affectum feruoremq; verbum significat; vt cui satis nõ est rarò, ac non nisi semel per annũ, sponsum suum sanctũ osculari, sed sæpius illi se vnire desiderat. Quãdonam, ô sacra oscula, pro eo ac debetis, degustabimini? quòd enim min⁹ bene gustemini, hinc etiã minùs ad vestrã aspiratur suauitatẽ. Vos porrò, carissimi, aromaticis diuinorum horum nartheciorũ
cinnamomo pretioso & *balsamo aromatizanti* fragran- *Eccli.24.*
tioribus odorib. imbutos iam relinquo: vosq; per eã, quã de salute vestra ac spirituali profectu habere debetis, curã cõiuro, vt diuinũ hoc mysteriũ, prout illi, quib. interiora animarũ vestrarũ patent, cõsuluerint, habita, 1. personarũ, 2. temporum, 3. ac necessitatum, quas iam iam deduximus, ratione, frequentetis.

Restat igitur dilectissimi, vt vobis, quos hactenus auditores habui, valedicam: & iam tempus est, vt in
Dothaim, magni Iacobi missu, ad meos quærendos *Genes.37.*
fratres, abeam: nam

Mille meæ Alpinis errant in montibus agnæ.

Nimis quàm diu, post Aduentus & Quadragesimæ tempore habitas conciones, in hac dilecta patria mea hæsi, cuius affectus & amor iam penè, post tot annorum apud oues curæ meæ à Deo concreditas residentiam, sepultus ac sopitus in me reuiuiscerent, nisi aduigilarem.

Virgil. 4. Æneid. —— *Agnosco veteris vestigia flammæ.*

Multo diutiùs quàm destinaram aut promiseram, sicut Tobias iunior, in hac Rages sum commoratus, vereor ne Ecclesia mea, velut noua quædam Anna, *lacrymis irremediabilibus* meam ploret absentiam. vnã duntaxat ad me purgandum causam afferre potero, *Tob. 10.* ferales scilicet has turbas, quæ, veluti balena Tobiæ, mihi, si itineri me commisissem, exitium & interitum comminabantur; sed, Deo laus, iuuenis noster Salo-*Luc. 1.* mon *potentia brachij sui* ita componere & consopire omnem tempestatem potuit, vt iam inde ab hac die de reditu securè instituendo agitare possim.

Reliquum est igitur, vt Dei vos nomine benedicam, & pro eo, quod ipse vobis præstiti obsequio, quod sentio, quàm sit exiguum, precum me vicissim ipsi vestrarum subsidio adiuuetis. Quam porrò ampliorem desiderare, vberioremque apprecari ipse *Gen. 27.* vobis benedictionem possem, quàm eam, qua Iacobo suo Isaac benedixit, quæ præter inenarrabilis huius mysterij, de quo apud vos octiduo hoc disserui, fructuum fruitionem aliud non includit; cùm in ipso & *ros cœli*, & *pinguedo terræ*, ipsa scilicet humana Dei filij diuinitas, & humanitas diuina contineatur? Hunc ergo obtestor, vt gratiarum suarum vos copia, & *frumenti & vini* huius, in corpus ac sanguinem suum transsubstãtiatorum *abundãtia* beare dignetur. Quid ad hæc addi queat, cùm sint illius, qui non solùm est ipse infinitus, sed ipsamet infinitas, possessio?

Vos autem, sanctę huius Ecclesiæ clere ac sacerdotes, venerabiles fratres mei, rogo, vt in ordinarijs vestris sacrificijs indigni mei peccatoris & prædica-

toris,

toris, vos quoque, ô animæ mihi dilectæ, in communicatione Panis illius sancti velitis meminisse. Planctum facite & dulciter plorate super animam meam hanc infelicem, *sororem* vestram *paruulam & quæ v- beranon habet* sanctorum & desiderabilium sponso operum. Plorate, & implorate cordi meo benignam misericordiam amatissimi nostri Iesu, vt ne instar chalybis igniarij aut solis sim, quæ calorem quem alijs tribuunt, ipsa non habent: aut thuribuli spirantis odorem, cuius in se tamen expers est, aut rigatorij, quod cum alia reddat humida, manet aridum; denique, *ne, cùm alijs prædicauero, ipse* bis reprobus efficiar, vtpotè *seruus voluntatem Domini non sciens* modò, sed etiam prædicans, *nec* tamen faciens. Cant. 8.

Itaque diuitem te Deus faxit amore suî, cara mihi S. Mederici parœtria, quam amo specialiter & in honore habeo multas ob causas tum carnis tum spiritus. Benedictio Magni Dei veniat super te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.

Finis Homiliarum Eucharisticarum.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN HOMILIAS DE VEN. EVCHARISTIA.

A.

ADam cœlestis à terrestri cur non tangendus. 110
Admonitio S. Bernardi Abb. ad fratres suos. 98
Admonitio ad sacerdotes Dei. 23. & 147
Admonitio ad puellas & Virgines 149 ad viduas & coniugatos, 150. & seq
Affectus amoris Dei erga homines. 82
Amor immensus Ionathæ erga Dauidem 53
Amor Christi erga discipulos, 54
Animæ in purgatorio quam pœnam sustineant 55
Animæ piæ apiculis comparantur 143
Animæ in Inferno quid optarent. 56
Animalia quibus in montibus albescunt. 138
Apex Catholicæ religionis. 125
Apiculæ cur factæ 142
Apostrophe ad discipulos in Emaus euntes. 60
Apostrophe grauis ad Iacobum Regem Angliæ 141. Apostrophe ad Angelos Dei. 61
Aqua limpida vitro conclusa quando turbulenta. 130
Assisium à Saracenis per quem liberatum. 97
Aues omnes an vna eademq; esca pascantur. 62

C.

COecitas Nouatorum quomodo sananda. 12
Cæna hæreticorum qualis. 21
Cantica B. Mariæ & Zachariæ cur perlustranda. 128
Caro in Incarnatione à quo sustentata. 74
Castigatio multorum malorum quæ. 41
Catholici cur noui Iobi. 141
Causa mortis Heli. 20
Certamen Iacob cum Angelo an dubium 102. Christus pro felle & aceto quid præparauerit Iudæis 54 Iacobo Patriarchæ cõparatur. 58. Christus Imperatori Rom. cõparatur 27. ad quẽ libentissime vt hospes diuertit. 121 cur Petro pedes lauare voluerit. 129. eius amor erga nos Ionathæ & Dauidis amori cõparatur. 53
Cõtritio diuersorũ de peccatis. 121
Corda hominum cur syluestres trunci. 138

D.

DEipara Maria an in maiori dignitate quam Angeli. 64
Deipara Maria aproxi herba cõparatur 71. quando concepit 73 mons

mons Sion. 90
Delitiæ Domini quibus reseruantur. 61
Deus vincibilem quando se præstat 102. & quomodo ibid.
Discrimen mysterij Incarnat. & Eucharistici quod. 73
Discrimen delitiarum cordis & corporis. 83
Domus Obededom cur à Deo benedicta. 9

E.

ECclesia quid. 68
Eucharistia quale tabernaculum 7 Fœderis arcæ comparatur, 18. quid in se contineat. 66. in ea fides maxime requiritur 67. germen Christianorum 78. panis omnium virtutum 113 semper manet Eucharistia 115. quales epulæ. 125
Exempla virtutum quorundam, 27
Exemplum Rudolphi Comitis Habsburgensis illustrissimum de SS. Euchar. 105
Exemplum amoris cuiusdam filiæ Romanæ 59. aliud à Cæsareo traditum ibid. aliud de meretrice quadam 107
Exercitium Catholicæ religionis quibus in locis interdictum. 41 sub qua pœna ibid.

F.

FActum Ozæ cur laicis documentum 23
Filius Dei in quantum Deus vbi semper præsens 74 an in varijs locis præsens ibid.
Fœmina quando rea & peruersa. 116. S. Franciscus ab Angelo quid accepit. 63
Fornax Babylonica quos deuorat & conseruat. 18
Fortitudo Israëlitarum in quibus sita 20
Fortitudo contra hæreticos. 98

G.

GAllia cur misera. 9
Gaudium Iacob de filio suo vnde ortum. 132
Gaudium Ioseph & Mariæ cur ineffabile. 132
Gemma Dioscorides qualis. 119
Gladius Gedeonis gladio Dei similis. 92
Gratia Sacramenti Eucharist. quando fit disgratia. 115
Guilelmus Aquitaniæ Dux homo contumax 97 à S. Bernardo conuersus ibid. & quomodo ib. factus Eremita 98. cuius ordinis parens & fundator. ibid.

H.

HÆredes Christi quales sumus. 57
Hæretici in quibus Michol comparantur 10. Christo cornua sacrilega quomodo affingunt. 13. scelestis illis Christum crucifigentibus cur deteriores. ib. Madianitæ & Amalecitæ cur dicantur 93. importunæ locustæ. 94. cur montes carnei ibid.
Homines arenæ comparantur 68. quales plantæ 71. in quibus

Miphiboseth persimiles 129. quid commercij habent cũ Angelis. 62
Homo arbor emortua 86. quando Angelis similis. 64
Honor in maiestatis Dei accessu quibus comparandus. 127

I.

IAcob odium fratris Esau quomodo mitigauit. 88
Idola Ægyptiorum quãdo & cur destructa 96. Indignitas nostra quid. 60
Ioannes Apostolus cur se nominare noluerit 5. eius nomen quid denotet. ibid.

L.

LAc in quibus melius vino. 83
Loca multa Christi præsentia beata. 130

M.

MAnna Christi corporis vmbra. 57
Maria Magdalena quomodo & quando extra se rapta 79. & cur ibid.
Maria Scotiæ & Galliæ Regina à Caluinistis Anglis quomodo occisa. 141.quarum exemplum secuta.ibid.verè Martyr. ibid. fidem & Religionem maiorum suorũm sanguine consignauit. ibid.
Martha & Maria hospitæ Christi 34.quid nobis designant ibid.
Mercatores emporia celebriora cur sæpè frequentant. 137
Michol à Deo cur perpetua sterilitate punita. 10
Milites Gedeonis nostri qui. 93
Mundus quibus regionibus pestilentior. 139
Myrrha passioni Christi comparatur. 67 67

N.

NAtura herbæ aproxis. 70
Natura ouium pauonis 139
Nitor angelicus quibus sectandus. 63
Nomen Zachæi in scriptura cur nominetur. 131
Nouatores hodierni Herodi comparantur 14. Cham & Iudæ proditori comparantur ibid. mordaciores pueris olim Elisæum deridentibus 15. verba illa (panis quem ego dabo) quomodo destruent 33. sacrificium Melchisedech nõ admittunt 34. cur veritate non sunt opprimendi 40. homines sacrilegi & blasphemi ibid. simijs & Camelis comparantur. 43 ratiunculæ eorum quibus comparantur 45 ollæ igneæ comparantur 69. Christi vestes quomodo dilacerant, ibid. ex vita faciunt mortem ibid. in tenebris eorum & erroribus inconstantes 94 eorum opiniones falsæ circa verba Eucharistiæ à quo & quot collectæ 84 quis tandem eos opprimat & deijciat 97. qualem panem nobis dant. 57

O.

OBlatio panis Melchisedech an sa-

an sacrificium. 35
Oratio ad SS Eucharistiam. 18

P.

PAnis Caluinistarum qualis. 31 à Christi corpore quantũ distat, ibid. quibus comparatur. 33
Panis à Melchisedech oblatus an nudus panis fuerit. 35
Pastor animarum nostrarum quis 58.
Pauperes & diuites in SS. Eucharistia quid colligunt 146
Peccator erga Deum quomodo affectus. 41
Peccatum in se cur virus. 119
Philippus Nerius cuius ordinis fundator 127. eius pietas & deuotio. ibid.

Q.

QVid Alexandrum Magnum ad bellum Insulis fortunatis inferendum animauerit. 131

R.

REgiones soli proximiores quales. 137
Rex Apum quando egreditur. 113
Robur nostrum in quibus situm. 20
Romani fastum triumphãtis quo modo temperabant. 9

S.

SAcerdos professionis suæ immemor quid 148. an homo ibid.
Sacerdotes cur digniores Angelis. 63
Sacerdotes in quibus Mariæ Virgini persimiles 234. quorum cõserui. 62
Salomon quando se glorificatum existimauit. 119
Saluator noster cur Moyses dicatur 12. filiæ cuidam Romanæ comparatur. 59
Serpens speculum animæ peccatricis 117
Serpens scytalis cuius coloris 119. eius virtutes & natura. ibid.
Sol quando emittit radios mitiores. 56
Substantia panis quibus comparatur. 36

T.

TEstamentum Christi cur admirabile. 57
Tigris animal truculentissimum. 88

V.

VErba mysterij Incarnat. & Eucharistici à quibus prolata 74
Verba S. Ioan. (In Deo manet & Deus in illo) quomodo intelligenda. 138
Veritas Eucharistiæ ex causis naturalibus probatur. 35
Vestes Saluatoris quæ. 69

Vinum virgineum adorationis quando bibendum. 118
Virga Aaronis quando floruit 86
Virtus in ſcytica herba. 101
Vnio Euchariſtica qualis. 78
Vrbes, Reſpubl. caſtra, domus, quo modo conſeruantur 68
Vxor Loth in ſtatuam ſalis conuerſa an quicquam amiſerit. 36

FINIS.

domus,quo
68
n salis con-
m amiserit.